

& Auriga Israël. O infelicem nobis exitum præteriti anni. O funestissimum initium præsentis: quorum utrumque MEISNERI nostri Mors & Funus, mœstissimum fecit. Siccine cum jactura tanti Viri, & Capitis Academiæ, annum claudimus? Siccine cum eiusdem Sepultura novam inchoamus? Siccine? Sed quid? Ut enim mœreamus, lugeamus, & plangamus: nulla tamen ratione Beatum nostrum D. BALTHASAREM MEISNERUM revocabimus: neque ipse, si vel maximè posset, in hanc calamitatum vallem sese denuò demissurus erit; quum iam malis omnibus exemptus, liber à peccatis, ab odio mundi, à persecutionibus, ab infestatione Carnis & Diaboli, in sinu Abrahæ, solamina cœlestia percipiat, Christi Redemptoris sui unici colloquio & aspectu, ineffabilibus gaudiis perfusus fruatur; & nos ad se potius quemque suo ordine, loco, & tempore, juxta divinam *sudiciu*, tandem beatè transiuros expectet.

Ideoque vulnus à Domino nobis inflictum patienter feramus, eiusque sanationem ab ipso petamus; peccata nostra, quibus istud promeruimus, agnoscamus & deprecemur; Successorem idoneum, Spiritu donisque parem, à Deo, qui ipse in Vineam suam operarios extrudere solet, exoremus; Viduæ Liberisque solatia quisque suo loco faciamus; & imminencia à cervicibus nostris mala, seriâ pœnitentiâ & precibus indefessis amoveamus; Ecclesiæ contra omnes hostiles machinationes clancularias & apertas, conservationem ac defensionem flagitemus; nosque ad beatam ex hac vita calamitosissima emigrationem, sedulo & quotidie præparemus.



D I X I.

EPICEDIA

In luctuosum & immaturum
obitum,

PER QUAM REVERENDI ATQUE
MAGNIFICI VIRI,

DN.

BALTHASARIS
MEISNERI

Theologi toto orbe Chri-
stiano Clarissimi:

ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS
jam-tertium-Rectoris:

testandi doloris & desiderii
ergo

ab Amicis ejus atque Discipulis

Scripta & Concinnata.



WITTEBERGÆ,

Sumptibus CASPARI HETDEN Bibl. Typis Hæredum
SALOMONIS AUERBACH, Anno 1627.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



537 225



Hic jacet ad cineres *GESNERI* illa altera
 nostra.
 Gloria, *MEISNERUS*, Duxq; decusq;
Schole.
 Quem *Pietas* & *Religio* formarat ad un-
 guem.

Hereticorum promptum dissoluisse strophas.
 Qualia venturis portenditis omina secis,
 Quæ rapitis tantum perfida fata virum?
 Sed mos ille *DEI*, quos diligit, eripit aspris
 Damnis, dilectos præripit ille *Suos*,
 Ne mala quæ terris nunc impendere videntur,
 Cogantur madidis cernere luminibus.
 Dive vale *MEISNERE*, vale cœli incola dive,
 Et fruire *Elysi* commoditate soli.
 Fama tui penitus nullo delebitur ævo,
 Vivet *Apellæum* quum morietur opus.
 Mitis *Joba* bonum rursus quem suffice nobis,
 Jacturam ut tanti sarciat ille boni,
 Et gregis ipse tui flagrantem suscipe curam,
 Ne rabidi lacerent agmina nostra lupi.

Georgius VVeckerus D.
p. t. ProRector.

A 2 Mor-

Mortuus est DOCTOR MEISNERUS:
mortuus ergò (DEI.
Mortua cum quo sunt maxima dona
Integritas, pietas, probitas, candorq̄, fidesq̄,
Enthea vox replens Templâ, scholasq̄, sacras.
O mors serua! viro quâ tanto parcere nescis!
MEISNERO similem secula pauca ferent.

D. Hoe.

Hassia Mentzerum, Meisnerum Misnia plorat,
Quâq̄; habet huic sociam Saxonis ora Scholam.
CHRISTE quid ex istis nos vis sperare ruinis?
Spes dubia est; genti parcito quæso tuæ.

VINCENTIUS SCHMUCK D.
Lipsia Superintendens.

Fallor? an hæc cœli facies dedit omina? tristes
Et sine Sole aliquot præteriere dies.
Diffugere nives, & plurimus impluit imber,
Effregitq̄, suas trux cataracta fores.
Hac facie vetus annus int, lacrymabilis, ater,
Totus & effusus, ebrius, udus, aquis.
Et simul (heu fatum!) MEISNERUS abi-
vit, & annum
Morte sua multis finit in lacrymis.

Dispe-

Dispereat, quodcunq̄, subest fatale? recessit
Gloria Leucorea non reditura scholæ.
Sic meruit scelerum nostrorum effusa libido:
Sed qui curaret talia, nemo datur.
Theologos odit mundi vesania, dignos
Morte putat, vitam qui docuere piam.
Omnia magnificat, solius dona docentis
Spernit, & hæc aliis sunt quoq̄, mundus, ait.
Quos igitur mundus nō curat, honoret Olympus:
Ex oculis rapti fortè placere queunt.
Sed te felicem, MEISNERE! solutus ab omni
Labe, coronatus victor es, antè Deum,
Et pedibus subiecta tuis mundi omnia calcas,
Dives in Abrami conspicuusq̄, sinu.
Nos, quocunq̄, DEUS volet ordine, quisq̄, seque-
mur:

Nil datur in mundo certius, atq̄, Mori.
Sed tu qui semper vivis, Pater alme, columnas
Da domui, (impendet magna ruina) tuæ.
Te retrahente manū, subitò labor interit omnis:
Te fabricante domum, fabrica firma manet.
FRIDERICUS BALDVINUS D.

Ergo cadis medios inter, MEISNERE, calores,
Hinc tibi quos febris subdit, & inde Papa?
Scilicet egregii censeatur militis esse
Mortem in bellicrepis nisibus oppetere.

A 3

Ipsa

Ipsa quidem idcirco meretrix Babylonia gaudet:
Fors tamen in solo nomine terror erit.
Interea lacrumis Ecclesia plangit abortis
Tanti praesidio nunc viduata viri.
Tu verò, frater quondam dilecte, quiescas,
Donec lata sonet vox: bone serve veni!

*Amoris & doloris contestandi
ergò f.*

POLYCARPUS LYSERUS D.
& SS. Tb. Prof. Lipsia

I.

Audist ut primùm MEISNERI fata, necemq;
Ipsius cepit credere Relligio:
Turbata, & subito mentem externata dolore,
Hæc si gultatis verba dedit lacrymis:
Qua modo firma sui tot defensoribus auclæ,
Heu sensim, tantis orba, labasco, viris.
Qualis MENTZERUS, WINCKELMANNUSq; fue-
runt,
Qui me praclaris esserere modis.
Qualis MEISNERUS, mea spes, mea fama; sed illos
Abstulit à nostro mors malè sana sinu.
Non tamen his decus omne sua sicelice revulsit,
In scriptis vivax gloria durat adhuc.
Ingenii monumen superest, & vindice vero
In quosvis Zelus fulminat bæreticos.
Esto, quod illorum me non defendere possim
Vate, tamen scriptis salva manebo libris,

In

II.

In tumulum B. MEISNERI.

MEISNERUS jacet hic: si nescis cetera, Lector;
Nescis quid Pietas sit Charis atq; Fides.
Claruit his etenim donis: nunc ergo latentem
Virtutum cumulum scito sub hoc tumulo.

Memoria viri meritissimi, amici & in
Christo fratris conjunctis.

*Lubens sed Lugens
F.*

HEINRICUS HÖPFNERUS D.
& in Acad. Lips. Prof. P.

MOesta mei extincti queis plangam funera magni
MEISNERI, non sunt (heu mihi!) verba satis!
Quam vellem! ast major cœpit mea pectora luctus,
Quàm lacrymas, animi promere signa, queam.
Heu fatum infelix & triste & flebile fatum,
Hoc Parcam nobis eripuisse decus!
Proh dolor! hic cum transit apex, heu transit honoris
Quantum! omnis transit spesq; decusq; scholæ!
Ergo Leucoræ Musæ, quæcunque super sunt,
Plangite, & his lacrymis collacrymate meis.
Lugete & mecùm pia pulpita, plangite Jovæ
Aedes, Leucoridum plangito in orbe cohors.
Hunc, Witeberga, DEI verbum cœleste docentem
Audisti, in monitus obsequiosa pios:
Hunc nullus poterat linguis æquare disertis,
Attica seu vellet, sive Latina loqui.

Hunc

Hunc nemo vitæ studio vincebat honesta,
Nemo illi veri cognitione prior.
Dotibus ingenii hic clarus, gravis arte, probatus
Consilii magnis dexteritate viris.
Verba DEI è mediis Israël fontibus hausta
Semper in eloquio protulit ipse suo.
Sacilegum genus ex adytis templisq; removit,
Magnanimo Zelo dogmata vera docens:
Excubias vigiles egit, ne turba luporum
Effera ceu raptas nos laceraret oves.
Ad summam! ut sol est, ut & unica luna diei,
Noctisq; , ut Musis unus Apollo novem:
Una ita Theologis MEISNERUS adorea cunctis
Extitit, antiquæ religionis apex.
Ergo satis caussæ luctus: heu flete Sionis
Rupes, fle pietas, mœnia, sceptrâ scholæ!
Flete iterum dico: Israël currus & auriga
Ecce pia, at propera morte peremptus obit.
Flevimus insignis Medici vix fata SCHALERI,
Flevimus: en nostri funera flere decet;
Nostri MEISNERI: qui Teutonicæ ardua gentis
Gloria jam summum claudit in orbe diem.
Heu! Ecclesiolæ florem tam rite virentem,
Proh dolor! unica nunc perdidit hora cito!
Heu! cecidit toti fama notissimus orbi,
MEISNERUS, patrii lausq; decusq; soli.
Exemplum vitæ, pietatis, regula morum
Unus erat, multis antefendus erat.
Vah virtus prohibet quos vivere, vivere fatum est:
Quosq; cupit virtus vivere, fata vetant

Semper

Semper virtuti sic mortem obstare dolendum est:
Ut, quod præclarum, haud esse diu soleat!
Lustra ita nondum octo fativis livida tantum
His voluit terris hunc superesse virum.
Scilicet ingenium terris cum adscribere nollet,
Ingenium doluit terra habitare, reor.
Sed bene habet: virtutes conservare beatum
Non potuere solo, sed potuere polo.
Ergo MEISNERUS cœli nunc aulicus instat,
Atque videt CHRISTI vulnere parta sibi.
Ergo MEISNERUS jam cœli sede receptus
Aspectu fruitur, colloquioq; DEI:
Et Sodomâ egressus, non torquet lumina retrò,
Sed capit in Domini gaudia læta sinu.
Nos quoque lætitia quondam vitæq; fruemur
Perpetuâ, ad cœlum mors ubi pandet iter.

JACOBUS MARTINI
SS. Theol. D. & Prof. P.

Ἐπιτάφιος

Nata Dei, Sophiesq; soror genitrixq; sacrorum
EUSEBIE (quæcunq; habitas, ubicunq; locorum
Jam degis) pullis te vestibus indue, tristes
Post tergum sparsis ploratus ede capillis,
Plange manu tremulâ, verbis suspiria misce,
Continuisq; tuum lachrymis testare dolorem.
Nec quæras talem luctum quæ causa requirat.
Heu lumen columenq; tuum, tua fama, corona,
Immortale tuum decus & tua gloria prima,
Delitiæq; tuæ, tua sola & summa voluptas,
Assertor, vindexq; tuus, tua parma, tuum cor,
Quin anima ipsa tua occidit, ipsaq; tota peristi.

B

MEIS-

D. Balthasar
Meisnerus.

MEISNERUM dico, quo vix præclarior ullus
Vivit Theiologus, quo vix præstantior alter
Eusebicus vindex, & quo nil doctius unquam.
Sol præsens vidit, quo nil divinius unquam
Misniadum regio felici protulit ortu:
Hunc præmaturâ lugeto morte peremtum.

Nascitur
Dresde Anno
Christi 1587.
die Febr. 3.

DRESDA potens armis & verè Regia DRESDA,
DRESDA ELECTORIS præfulgentissima sedes,
Saxonici hancce Rosam primum produxit in auras,
Cum post milles quingentos septimus olim
Atque octogenis mundo decurreret annus,
Tertia cum Februi lux illucesceret orbi.

Patre Baltha-
sare Meisnero
Ecclesiaste
Dresdensi.

Progenitor nostri MEISNERI, dictus & ipse
Nomine BALTHASARIS, meritis, pietate verendus,
Lustra per octo sacris Dresdensis præfuit urbis,
Cujus nata, decus sexus, virtutis imago,
BALDUINO nupsit, quem Leucoris alma docentem
Jam stupet, & primas tribuens reverenter honorat.

LYSERI, HUNNIADÆ, cum BRENTIADISq; MAGIRI,
Cumq; BIDENBACHIIS, OSIANDRI, RUNGLADq;
Convincunt, falsum esse tuum Jesvita cavillum,
Theiologum soboles quod degener esse suèvit.
Quid plures memorè? noster MEISNERUS, id ipsum
Mendax esse docet, mystæ patris optima proles.

An. Chr. 602.
ætatis 15. ve-
nit Witeber-
gam.

Ut verò hic noster primas pietatis & artis
Ducere lineolas patriis didicisset in arvis,
Mox EVANGELICAM properavit adire SIONEM.
Ætati Christi, Solymis quâ sedit honorus
Doctorum in medio, tres annos insuper addas,
Noris, quo vitæ WITEBERGAM venerit anno.

Tum

Tum demum ingenii sese mirabilis ardor
Exeruit, versare libros noctesq; diesque,
Et doctos audire viros erat una voluptas.
Nondum prima genas ejus lanugo rubentes
Vestierat, vixdum binos WITEBERGA per annos
Ipsam formarat, mox audiit ecce MAGISTER,

An. Chr. 604.
ætatis 17. Ma-
gister artium
creatur.

Postquam septenos illic transegerat annos
In studio, & SOPHIEN felici fœdere utramque
Junxerat, ARGYTROPEN adiit, doctâ inde TUBINGAM,
Ac tandem GISSAM, MENTZERI ubi factus amicus,
Quem præceptorem meritò Germanidos oræ
Communem dico, sanctum venerorq; parentem.

An. Chr. 609.
ætatis 22. pro-
ficiiscitur Ar-
gentoratum,
Tubingam,
Gissam,

Inde quater senis exactis mensibus illum
LEUCORIDIS Proceres revocant, & publica magnus
ELECTOR SAXO conscendere pulpita mandat.
Principis imperio tanti MEISNERUS obœdit,
ETHICA tradendo binis feliciter annis,
Hisq; juventutis mores formando decenter.

An. Chr. 1611.
ætatis 24. VVi-
tebergam re-
vocato Echi-
ces Prof. de-
mandatur.

Sed majora ejus virtuti præmia justè
Debita erant, unus postquam defluerat annus,
Publicitus DOCTOREM ipsum WITEBERGA salutat
THEIOLOGUM, spectante atq; applaudente parente.
Res perquam rari exempli, juvenilibus annis
Doctorem quinto lustro currente vocari!

An. Chr. 612.
die Januar. 21.
ætatis an. 24.
nondum com-
pleto Doctor.
Theo. venunc.

Ipsa etiam hoc anno PERSONIA florida virgo
MAGDALA, LUDVICI consulti juris & æqui
Et magni Legum Doctoris nata, maritum
MEISNERUM fecit, noviesq; exinde parentem.
Tres nati ex illis superant atque unica nata,
Materno decimus latitat sub pectore fœtus,

Eodem tem-
pore matrimo-
nium contra-
hit cum Mag-
dalena Lud.
Personii fcti
filia, ex qua
novè liberorū
parens factus.

B 2

Cedite

A.C. 613. a-
tis 26. Theol.
Prof. consti-
tuitur.

Cedite Romulidæ, castissima jura sacrorum
Conjungi cum jure thori qui posse negatis.
Mystrarū est sacer ordo. Quis hoc queat ire negatū?
Conjugiū est sacer ordo. Quis hoc velit ire negatū?
Ergo sacrum sacro jungi quis posse negabit?
Adde sacrum sacro fiet sacratius istud.

A.C. 624. a-
tatis 37. Con-
sist. Ecclesiast.
Assessor.
Tertium Aca-
demicus Re-
ctor.

Annus ut alter adest, sic ELECTORE volente
LUTHERI cathedram conscendit, ab ore docentis
In templo, inq; schola densissima concio pendet.
Ac post undenos annos, moderante Jehovah,
ASSESSOREM ipsum SACRI vocat ordo SENATUS.
Sceptra tribus vicibus cum laude Academica gessit.

Dotes animi.

Ingenii vis mira, acies rarissima mentis,
Judicii; vigor, suavissima copia fandi,
Dexteritas verum tradendi, lectio multa,
Hæc sunt, quæ propter toto MEISNERUS in orbe
Præ cunctis aliis tantum caput extulit unus,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Scripta pu-
blica conse-
cta.

In sacris studiis *Sophia* quis *Sobrius* usus,
Ac *Anthropologes* quæ sint mysteria sacræ,
Edocuit, quæve *Hosea* sententia vatis,
Quæq; *Evangelion* fiet ipsa medulla sacrorum,
Quam nimis indulgens Papæ *Indulgentia* fallax,
Quamq; nimis fatuus sit *Purgatorius* ignis.

Lessius & Reyhing (cū nondum noster is esset)
Cumq; Vorismarto Monachus Czarncovius, & quē
Infaustum Scotium Faustum dixere Socinum,
Et Calvinisequæ senserunt, enthea tanti
Quæ fuerit doctrina viri, quod robur in armis,
Quam stragem dederit, quoties ruit acer in hostes.

Singu-

Singula quis memoret, magno quæ scripta labore
Doctrinæq; pari totum irradiantia mundum?
Haud facile invenies primum quid Lector in illis
Mireris, facilemne stylum, vel mentis acumen,
Vel vim doctrinæ, vel pondus habentia verba.
Omnia namque uno decurrunt tramite juncta.

Jamq; minabatur sese, Christo auspice, sacri
Perfectum studii nobis *Systema* daturum,
Docturumq; viam, quæ dimiquantur *Abusus*,
Queis nimium multis hodie magnisq; laborant
Curia, templa, scholæ. Verum, miserabile dictu,
Mors interveniens conatus abstulit omnes.

Affecta.

Hæc Europæis per scripta innotuit eris,
Theiologis cunctis habitus carissimus, unum
Ex illis tantum memoro, proq; omnibus unum,
Hoëum, Comitem quem *Cæsaris* aula Palati,
Constituit, mystam quem *Saxonis* aula supremum
Agnoscit, quem Theiologum deprædicat orbis.

Tu quoque permagni *POLYCARPE LYSERE* parentis
Degener haud quaquam soboles, præclare sacrorū
Antistes, *Sophies* decus immortalis sacratæ,
LIPSIÆ pro Cathedra templiq; scholæq; docentem
Quem veneratur, amat, laudat, reveretur, honorat,
MEISNERUM ardenti mecū es complexus amore.

Nec calamo tantum Christum est linguæq; professus
MEISNERUS, pietas cordis radicibus hæsit.
Nil nisi præmissis precibus suscepit, iisdem
Finiit inceptum, Christo confidere soli
In dubiis solitus, Christum constanter amavit,
Omnia de Christo per Christum cuncta locutus.

Pietas.

B 3

Virtu-

Virtutes alie.

Virtutes alie pietatem, corpus ut umbra,
Pone sequebantur, vitæ omni labe carentis
Integritas, studium bene de quocunq; merendi,
Cumq; lepore decens gravitas, suavissima morum
Temperies, candor, placidq; modestia vultus,
Pacis amor, labor assiduus, concordia mitis.

Morbus.

Talis MEISNERUS noster fuit. At fuit? eheu
Octavum nondum lustrum compleverat, eheu
Febrilis totos ejus calor occupat artus,
Cor pressat, diaphragma angit, vitæq; minatur.
Urbs tota in luctu est, pubes studiosa gemiscit,
In lachrymas abeunt conjunx, sobolesq; tenella.

*Mors, que in-
cidit in annu
Christi 1626.
etatis XXXIX
29. Decemb.*

Sed contra morbi & mortis vim fortior ipse
Insurgit, duplices tendens ad sidera palmas,
Seq; suamq; animam Christo commēdat, eandem
Sacratissimans epulis, in gaudia cœli
Pectore defixus toto, nonoq; Decembris
Post vicena die placidè sua lumina claudit.

Spiritus astra subit, sanctis post fata relictis
Corporis exuviis, in terris fama superstes
Perdurans totum sese diffundit in orbem.

MEISNERUM *Witeberga* habuit, vix tempore longo
Æqualem inveniet, peto falli, summe Jehovah,
Æqualemq; dari, potes omnia, nil tibi magnū est.

Hæc extrema tibi mœrens suspiria mitto
MEISNERE, huncce tibi lessum fero corde gemēte.
Hoc quale & quantum est, fraterni pignus amoris
Esse volo, cujus me nulla oblivia tangent,
Nec tuus è nostro labetur pectore vultus,
Ætherea donec lati sociemur in arce.

*Publici luctus & fraternæ conjunctionis testificanda
causâ scripsit in Academia Jenensi*

JOHANNES GERHARDUS D.

MEISNERUS lampas Pietatis, gemma Docentum
lucida, Leucorea gloria magna Schola.

In Sopiâ humanâ & Divinâ sobrius, inq;
moribus, exemplar sobrietatis erat.

In rebus modicum sapere, & sentire modestè
de se, nôrat: id est namq; satis sapere.

En ille occubuit media in statone virili,
& vita abruptis stamina cana sua.

Cur? quia fat Sapiens, sapere baud qui gestiit unquam
plus nimio, nimium vivere nec voluit.

D. CRAMERUS D.

HOSPITA cum caperet nos ARX AUGUSTIOR ANNÆ,
Et dulci synodo magnus adesset HOB
(Dum legeret felix de RUTA VIRGO coronas,
Quæ dolet evulsâ jam fera fata comâ.)
Quam præfagus eras fati, MEISNERE, futuri!
Qualis in hunc abs te fusa querela sinum!

Vix mea, dicebas, ultra se porriget atas
Septem annos, sit flos, sit licet ipse vigor.

Usq; adeo curaq; catenatiq; labores
Conficiunt vires, lenta venena, meas.

Tres primùm cathedras, quantum potis, orno LUTHERI,
Quam Schola, quam templum, Privaq; tecta videt.

Crebra Facultatis sequor hinc Collegia nostra,
Aut ad Concilii summa senacula vocor.

Inde vel alloquio tempus furantur amici,
Aut per epistolicum labitur illud iter.

Hic sibi sexcentos solvi petit ordine casus,
Sanc ille, quod articulis mille queratur, habet.

Hic

*Annaburg. ab
Annâ Augusti
conjuge.
Magdab. Ad-
ministr. & Ele-
ctoru Saxo-
nie conventus
amicissimus.*

*Hic sua Censura pueros velu mira mittis,
Hic ne tunc rem postulat, ille vadem.*
*Cum respira dum est, si cura domestica profert,
aut Ariadnèam poscit alumnus opem.*
*Alter in historia, labyrinthis aliter Hebrais
Hæsitat; hic nummos, ille diploma petit.*
*Est qui nosse Locis optet Communibus uti,
Est quem dicendi pulchrior ordo juvet.*
*Nec satis est; Nodus varius, qua Gordius olim
Laxior ingenii dissolvens acu.*
*Sive sit à sociis vafre contextus Iberis,
Seu monstrum Gallus, Belga vel Anglus alant.*
*Integra quin acies dentatis horrida chartis
Cum CHRISTO, arictibus disjicienda meis.*
*Seu nos Sarmatico Photinus acinace vexet,
Seu propius juncti vulnera caca secent.*
*Deniq; Syssipbium RECTORIS volvere saxum
Cogor, & Aeneum ferre DECANUS onus.*
*Vix ut Olympiadem vix ut trieterida possim
Vivere, mirandamni DEUS addat operis.*
*Sic Tu. Sed regerens & fausta precatus, ut annis
Vel Pylum superes, talia fortè dabam.*
*Si tria corda tibi, dextræ centum, oraq; centum,
Si, quod sunt animi, corpore dona forent,
Sufficeres ausis: HOMO cum sis, parcus aude,
Nam NIHIL, & NIHILO si MINUS esset, HOMO est.*
*Aspicias ut multos perdat labor, ocia multos,
O felix mediâ qui gradiere viâ!
Auxius ut nimidò bombyx perit orbe trimestri,
Sic HOMO, vermiculus, dum nimis instat, obit.*

Nonnè

Nonnè DEUS solvi pecudes vult mole gravatas!
Et sit in humanum durior ille genus?
Nonnè suum semper tensum si gesserit arcum
Luce perexiguâ Parthus inermis erit?
Fœcundæ nimum perdunt citò robora vites;
Istâq; luxuries arte cavenda venit.
Naturæ mors est, NIMIUM; sit motio sensim,
Nec fert ætatem quod requiete caret.
O si consilium valeat JETHRONIS, & istâ
Te succenturians copia mole levet!
Sic ego; Sed frustra; vicit generosior ardor,
Vicit Leucoræ gloria mosq; scholæ.
Ac ita sollicitè paucos dum computo soles,
De nece MEISNERI nuncia fama venit.
O dolor! ô vulnus nullo medicabile succo,
Fortis in ISRAEL occidit ante diem.
Quis luet hanc culpam? damnumq; refartiet ævo?
En sacer arguto miles Ulysse caret.
O omen dirum! gravidas ô Numinis iras!
En Academiam deficit alter Atlas.
Credite MEISNERUS non quovis nascitur anno,
Singula nec talem seculâ nacta virum.
Non ita ROMA: suis quæ sufficit ocia, libros,
Munera, collegas, ut lucra plura ferat.
Nos apud his animis senium venit ante senectam,
Qui bonus est, ^{ov} est, quem citò perdit onus.
Ut præ continuis vix una laboribus illi
Horula, quâ somnum, quâ capiatvè cibum.
Quid præstare boni poteras GESNERE? quid HUNNI?
Quid RUNGI? sineret si labor esse senes.

C

Aurea

Aurea gallinis parientibus ova favendum
Qui peccat, immensas perdit avarus opes.
Sed quicquid fuerit: periit semel inclytus heros,
Infectum factum reddere nemo potest.
At nego. Non perit. Superat MEISNERUS, habentq;
Astra animos, famam secula, membra sopor.
Quot bona vix alius centum perfecit annis
Ille quater denis praestitit, ac abijit.
Sic DEUS indulgit post ardua facta quietem,
Qua nimis ingrato rarior orbe fuit.
Sic benè. Sic caelos animæ, sic nomina famæ,
Sic cineri genios grator adesse sacros.
At malè cum nobis actum est, hoc LUMINE cassis,
O quas hæ tenebræ damna vicesq; ferent!
O DEUS, ergo tuas supplex advolvor ad aras
Et pia communi Numina voce rogo:
Parce, PATER, terris, & iustum mitte furorem,
Sit satis hoc iræ, sit satis, oro, PATRI.
Aut cape nos etiam citiori funere caelo,
Ne mala nos pessum, quæ feret orbis, agant.
NOX, FUGA, MORS, EREBUS mundo metuenda maligno,
Sis igitur nobis LUX, VIA, VITA, SALUS.

Promotori suo & amico

PAULUS RÖBERUS D.
aule Archiep. Magdeb.
à concionibus.

Tristis eram, pectusq; meum pavor altus habebat,
Stabat & ad fauces aspera lingua meas,
HOPFNERI quando fidißima licera, mortis
O MEISNERE tus significavit iter.

Nam

*Nam mecum expendi damnum irreparabile, cætus
Quod cepit Christi, te moriente, sacer.
In templis quoties tibi dogmata dia docenda,
Promptus eras linguâ mellifluusq; tuâ.
Quum inq; Academia verbi mucrone sophistæ,
Pellendi, nunquam spes tibi demta fuit.
Hinc altos ducunt, te decedente, dolores
Cuncti, quos penes est religionis amor.
Desine summe Pater; dirum cohibeto flagellum;
Doctrina reliquos queso tuere Duces.
Facq; diu vigeant claro qui nomine noti
Solis ad Eoas occiduasq; plagas.
BALDVINUS, MAIOR, SCHMUCKZUS, magnusq; GERHAR-
HOPFNER, LYSERO & de genitore factus,
Fac inquam, vigeant, valeant, doceantq; legantq;
Et cudant multis commoda scripta viris!
O votum finem capiat faustumq; beatumq;
Ut sic è lactu gaudia larga fluant!*

Argentina misit

JOHANNES SCHMIDIUS SS. Tb. D.
Prof. Publ. & Ecclesiastes.

Vita quid est aliud, tenuis quàm pulvis & umbra;
Utque nihil virus est, sic quoque vita nihil.
Felix cui vita est Christus, qui janua vitæ est,
Perdere quam scævâ trux sicelice nequit.
Hunc vitæ fontem monstrant sumentibus illi,
Qui gaudent Christi pascere voce gregem.
Quos si Christus amat lætum conscendere Olympum
Mundo devicto tempore quemq; suo:

C 2

Quis

Quis non grater meritò Victoribus istis?
Quis non his statuat lata trophæa lubens!
Hic labor, hic dolor est, rodentes pectora curæ:
Illic grata quies, gaudia mille vigent.
Hanc fidei metam est MEISNERUS nuper adeptus,
Cum Christo æternum vivit ovatq; suo.
Cum veteri claudens anno labentia fata,
Angelicos vivit nunc sine fine dies.
Stella erat Eusebiæ cultores inter amœna,
Leucoridisq; decus, gloria & Aonidum:
Nunc MEISNERUS ovat cœli præfulgida stella:
Nunc pro mortiferis cœlica sceptrâ gerit.

L. JOHANNES HÖPNERUS Prof. Lipsiæ
ad d. Thom. Archidiaconum.

Scilicet ad majus Nomen perducitur ille,
Qui fuit in parvis sæpè probatus homo.
Sæpè probatus eras, Meisnere Verende, Sophorum
Turba: & Theologis sæpè probatus eras.
Sæpè probatus eras, cum te Censura Senatus
Sussulit in fasces Publica Magnificos.
Hinc DEUS ad Summi fulgentia mœnia Cœli
Transtulit è terris cor animumq; tuum.
Ut, pius in terris qui dicabar, in illâ
Nunc vitâ Sancti nomen habere queas.
Sed cum plena tuis meritis sit patria nostra,
Et Germanorum vix regio ulla vacet,
Anxietas tangit multorum plurima corda,
Qua steat amissum, tam meritumq; bene.
Non tamen in video vitam meliorem beate
Auspicia, ad qua te duxit aperta Fides,

Sed

Sed precor ut placidè recubent tua membra sub urnâ,
Et mens æterna tempora lucis agat.
Sis felix alia capiens habitacula sedis,
Et semper salve, perpetuumq; Vale.

Ex imis perturbatis, cordis suspiriis fundebat
& festinantibus, calamo adscrib.

CHRISTIAN GILBERTUS Tb. D.
Magdeburgi ad Dd. Ulrici
& Levmi P.

MEISNERUS mundana videns tot scandala passim,
Paucaq; scripturis convenienter agi,
Ac peccare in eo Clerum superum, inferum, & omnes
Cujuscunque notæ, stemmatis atque gradus:
Consuluisse rei tam pravæ tamq; sinistra
Cogitat ipse suo nocte dieq; loco.
Dumq; putat totam rem clave ligante regendam,
Illa ministerio restituatur, ait,
Hac sine non ulla est vivendi regula constans:
Nec mora, grande simul scribere cœptat opus.
Æger at in primo tanti moliminis ausu
Occidit heu! unâ res ea spesque cadit.
O subitum fatum! quod plangent carmina Vatum!
Atque piis decoret quisque pius lacrymis!
Orsus opus simile est, fatisq; faventibus, ARNDUS
Absolvit, sed non omnibus omne placet.
Si ratio melior, si quæ via rector ulla est,
Hanc ostende tuo, CHRISTE BENIGNE, gregi.

BARTHOL. REUSNERUS D.

C 3

Si cui

Si cui debuerat durissima parcere Parca,
 MEISNERO certè parcere debuerat,
 Qui nostri merito decus admirabile secli
 Exiit, & cuncto dignus honore fuit.
 Omnia in hoc miranda viro atq; stupenda fuerunt,
 Seu doctos calamo, seu daret ore sonos.
 Quem non Autorem studiosè evolverat ille?
 Quæ non historia huic cognita, lecta, fuit?
 Quem non Theologum cupido gustaverat ore?
 Attingerat quem non, imbiberatq; Sophum?
 Quem non Hæreticum poterat convincere dexter?
 Dogmaq; quod poterat non jugulare malum?
 Si dubitas, lege scripta modò, miraberis artem,
 In hunc, Ingenium, quin methodumq; viri.
 Miror ego hæc certè, mecum & mirabisur atas
 Postera, posteritas si tamen ulla manet.
 Sed nunc ante diem, fatali absconditus urna,
 Vir tantis donis præditus ille jacet.
 O sevam mortem! fata o crudelia! nobis
 Aure suam rapiunt que bona cuncta diem.
 Optima nam semper fati tolluntur iniquis,
 In Mundo immundo sex odiosa manet.
 Tecum equidem malè non agitur, Clarissime Doctore,
 Cui mutare statum cum meliore licet.
 Latus ovas etenim jam nunc novus incola cæli,
 Exemptus mundi sordibus atq; malis.
 Deseris at miseros nos isto tempore, mille
 Quo mala circumstant, mille pericla gregem.
 Quare lugemus meritò, virtute carentes,
 Dexteritate, fide, consilioq; tuo.

Sed

Sed quia proficitur luctu nihil atq; dolore,
 Quod Christus voluit, nos quoq; velle decet.
 Qui pœnas meritas clementer mitiget, atq;
 Porro Ecclesiole pergat adesse sua.

affusæ
 non sine singulari *ou. tu. b. cas.* significatione

M. CHRISTOPHORO LAURENTIO,
 Sereniss. Du. Electori Saxonie à con-
 sionibus aulicis.

R ECTOR-Theologus moritur, sed percipit illud
 Corde suo nullus, nullus & ingeminat.
 Omen non subsit? subsit mutatio magna
 Nonnè, quod annò Unus Rector & Alter obit?
 Sed benè Cœlicolæ MEISNERO: sat benè, saltem
 Si nobis adsit gratia sola DEI.
 Gratia tanta DEI, post vulnera tanta, remonstret
 Nobis auxilium, Theologumq; PAREM!
 GOTTFRIDUS Neuter J. U. D.
 & Prof. Publ.

IN te aliis amissum aliud, MEISNERE, dolendi
 Fas esto; nec ego hoc tantum doleo, quod amicum,
 Cui res audacter magnas parvasq; jocumq;
 Eloquerer, tecum amisi: verum ista fatigat
 Me cura imprimis, PRAXIS CHRISTIANA fidelem,
 Eben! quod tecum amisit Pietasq; Patronum.
 Hæc etenim magno & raro conamine agebas,
 Ut rursus Pietas, Virtus gratissima cælo,
 Exfereret Caput, & malefacta sepulta jacerent.
 Audissent ex Te, vitam si Fata dedissent,

Cbri-

Christo sacrati, quod non minus exulet Aula
Caelestis Regni, falsi sectator & autor
Dogmatis, ac summum blasphemio qui impetit ore
Numen, turpe nefas! fœdusq; libidinis astu
Flagrat, & humana crudelis sanguine dextram
Polluit, aut palmam potando ventris Alumnus
Quærit, vel lucris inbiat, seq; ipse sacellum
Mammona ponens, viduas miseroseq; pupillos
Opprimat, aut socios deludit fraude doloq;
Has scelerum pestes, MEISNERE, à gente volebas
Arcei Christo devota, non minus atq;
Heresin, aut Sanctam disrumpens Schisma quietem.
Sic etenim rebare animo, sic mente putabas
Egregia, non esse satis, bene scire, salutem
Si quid ad aeternam faciat, nisi congrua facta
Accedant, rectamq; fidem pia vita sequatur.
Non res tam facilius Christiani invadere nomen,
Quam vulgò censent nimium sibi credula corda,
Dogmate qua distant, non vitâ à gente propbanâ.
Principio noris, qua sint facienda, deinde
Qua fuerint modò nota, patres. quò noscere tantum,
Nè factas? satius fuerat, nescire. benignè
Plectitur ignorans Domini sacra jussa; sed ille,
Qui novit, temerè illa tamen contempta relinquit,
Ultrices turgentis Heri bis sentiet iras.
Vis Sacramenti nostri cognoscere summam?
Disce Deum, post Crede, dehinc imitare. solum
Hac tria quisquis eat, nunquam Christianus haberi,
Aut dignus veniet promissi culminis hæres.
Sed bene sperandum. Nam si p̄ta saga fuit Mens
Et vox jam morituri, incendet zelus amoris

Divini

Divini heroum pectus, quod se igneum in hostes
Adversus, tetrumq; scelus vitiumq; nefandum
Conjiciens pulchris Peccatena vindicet armis.

FIAT. ò! aeternum sed Tu, MEISNERE, Valet.

DANIEL SENNERTUS D.
Facult. Medica Prof. & Senior.

MEISNERUM tenuit viridi splendore Smarag.
Leucoris anello Theiosophia suo. (dum,
Cominus è Divæ digitis, atque eminus ille,
Fundebat nitidum per thola sacra jubar.
Mutud at accepit saltim! Gemmarius illum
Condedit in thecam rursus ut ipse suam,
Festinasse putant Fatum: Nam deterit usus
Si pretiosa citò, sustulit ergò citò.

Seren. Elect. Sax. Secretarius

JOHANNES SEUSSIUS F.

Vix quater admordit sibi caudam Ægyptius Anguis,
Zodiaci toties SOLq; relegit iter;
Edeni quando MEISNERUS Luscinia HORTI,
Unica Theiologas Luscinia inter AVES;
Divinum CARMEN NOE super edidit ARCA,
Quiq; forent Cherubim, qui Seraphimq; forent;
Non tulit ingratis; Dum tristibus omnia bellis
Nunc collisa crepant, totaq; terra tremat;
Dira lues passim vacuis grassatur in agris;
Indignam PIETAS pulsa reliquit humum;

D

JOVA,

Typis impres-
sus aureolus
iste libellus
Viteberga
Anno 1622.

*IOVA, Virum Sanctum tantis nunc totq; periclis,
Qua terris instant, precipiamus, ait;
Extemplo Cherubim & Seraphim mandata capeffunt,
Ad nutum DOMINI turba parata sui;
Purpureisq; alis neffentes orbibus orbes
MEISNERUM caeli tecta sub alta vehunt:
Hic ubi, sexcentis sudoribus exanclatis,
Intuitu fruitur, colloquioq; DEI.
Lacrimulas age mæsta parens, pia, desine, CONIUNX!
Tàm bene si VOBIS, quis lacrimare velis?*

*Θειολόγων αἰετῶ ἐν νεφέλαισιν
ἐνί;*

*Mortalitatis & fragilitatis
humanæ memor;*

*Homulli quanti sumus cum recogito!
mærens posui Dresda*

CHRISTIANUS ANESORGIUS J. U. D.

*PLorat Relligio, plangunt verumq;ue, Fidesq;ue,
Misnica luget humus: Teutona luget humus.
Christiadum cecidit quia propugnator acutus
MEISNERUS, nostræ spesq; nitorq; Scholæ.
Ah! cecidit, miserum, CHRISTI-CONTRARIUS ille,
Dum vastat cœtum, & turbat ovile DEI.
Quis non ploraret? quem non dolor iste moveret?
Hostis adest rabidus, dum vigil, ecce, cadit.
Posteritas flebit, nî tu firmaveris IPSE
CHRISTE tuum montem, vel dabis huic si-
miles*

CHRI-

*CHRISTE tuum populum defende, & pascua verbi
Conserva, ac tandem respice & ipse veni.*

*Ex intimo dolore super beato abitu Praeceptoris
sui desideratissimi, optimeq; meriti*

f.

*M. FRIDERICUS KORN MANNUS
Practica Phil. Prof. Publ. & h. t. Collegii
Phil. Decanus.*

*PERpetua est homini Ratio Vita atq; Laborum;
Quâ fractâ finem sepius anticipat.
Sic MEISNERE Tibi solito duplare labores
Duplum Spirituum, & Vita per te media.
Perplacuere Tibi docti bi Sanctiq; labores,
Christicolis grati, noxii at Hæreticis.
Sed benè pugnatum est; citior Cursusq; peractus;
Pura retenta Fides; Conscia mensq; boni.
Post exanclatos dormis nunc ergò Labores
Aeterni expectans premia summa patris.
Semper Honoros, Nomenq; Tuum, Laudesq; manento,
Succedatq; alius par Tibi, parq; Scholæ.*

AMBROSIUS RHODIUS D.

*DEMirata fuit MEISNERI cuncta labores
Misnia, Saxonie, Silesia, Austriaca,
Teutonis ora omnis, Galli, Sveciq; Daniq;,
Cumq; Caledoniis, Anglia, Pannonia.
Invida Parca, hominum res nescia ferre secundas,
Vidit, & indoluit; furripuitq; Virum.*

D 2

Ergò

Ergo spe citius surreptum cuncta dolebit
Misnia, Saxonie, Silesia, Austriaca,
Teutonis ora omnis, Galli, Sveciq;, Daniq;,
Cumq; Caledoniis, Anglia, Pannonia.
Sed bene habet. Vivum nobis monumenta reponunt,
Quæ livens Atropos nulla abolere valet.
Pars etiam melior, Cœlesti in culmine, CHRISTI
Aspectu fruitur colloquioq; sui.

M. ERASMUS SCHMIDT
Græc. & Math. Prof. Witteb.

I.

Dum se MEISNERUS mortalibus exsistit umbris,
Sol spargit radio lucidiore diem,
Atq; sedens curru volitante per astra triumphat,
Quod jacet obfuscans lumina luce sua.
Sed frustra: in cœlis splendet lumine tali,
Præ quo lux rutili nox mera Solis erit.

II.

Ingeminas risus petulanti splene Suita,
Quod mors Meisnerum sustulit ante diem.
Scripta dicata tibi Meisneri, queso, refuta,
Et mihi dic, qualis risus in ore tuo?
Splens ridere facit, splenem purgato libello,
Quo stultas flammæ purgat, & astra petit:
Disperam, si non risus in flumina fletus
Ibunt, & cunctæ fabula, risus, eris.

Memoriæ
Amici sui veteris & fratris conjunctiss.

f.

M. ABRAH. GENSREFFIUS P. L.
Superintend. Friberg.

Clau-

Clausula præteriti quàm valdè flebilis anni!
MEISNERUS summum clausit in orbe diem.
Introitusq; novi proh quàm lacrymabilis anni!
MEISNERI cineres contumulantur humo.
Fama meas nunquam turbavit acerbior aures,
MEISNERI quàm quæ nuncia mortis erat.
Quis dabit his oculis lacrymarum flumina, flere
Quæis possim damnum, Leucoris orba, tuum?
Quàm tibi dira lues, quàm militis impetus ingens,
Dura flagella DEI, plurima damna dedit.
Funere MEISNERI verùm vix durius, uno hoc
Intulit omne malum vindicis ira DEI,
Quando DEUS pietate viros, probitate verendos
Evocat hinc, nisi nil turba profana manet.
Turba insana suis sceleratis moribus iram
Accelerans justis iudicis, atque necem.
Imber adest, rapidæ volitant super æthera nubes,
Tritica pura legit provida cura DEI.
Infelix lolium, paleæ rapiuntur inanes,
Tanti causa mali, ceu rapit amnis aquas.
MEISNERI sancti manes super astra locati,
Omnibus erepti nubibus atque malis,
Salvete, ô iterum atque iterum salvete; quid ultra?
Vos manet alma quies, nos lacrymosa dies.
Gaudia vos cingunt cœli, nos fulmina belli,
Vobis nulla fames, nos rapit atra lues.
Singula ferre jubet peccati pœna, manerent
Saltem dona tui divitis ingenii.
Heu mihi, thesaurum MEISNERI funere quantum
Amisit studiis turba dicata sacris!

D 3

Ut

Ut vidit, stupuit verborum pondera Esavi
Et rerum suboles, Calva cohors tremuit.
Qualis quantus erat MEISNERUS, scripta loquuntur
Edita, ab exsequiis fama loquetur anus.
Qualis quantus eris MEISNERE, videbimus olim,
Præco ubi justitiæ splendida ut astra micat.
Nullus in hisce fuit tetrus mihi carior alter,
Intemerata fides gluten amoris erat.
Te moriente meæ moritur pars maxima vitæ,
Te sine triste mihi vivere, dulce mori.
O utinam suprema dies nos jungat olympo,
Sitq; hodierna dies, illa suprema quies!
Remigio alarum si possem ascendere cœlum,
Ah mea jamdudum mens tibi juncta foret.
Perdus & pernox precor, ut cum venerit hora,
MEISNERI callem præpete calce teram.
Appositus lateri cœlestia cantica psallam
Ipsius, angelico mistus adusque choro.

Adfiri meritiss. & desideratiss.

Piæ ac debitæ συμπαιθείας ένεκα

f.

*M. GEORGIUS THAUT P. & Saperatt.
Hertzbergensis.*

*Da, pedem ubi figam; & terrarum fixa movebo,
Ajebat Archimedes ille maximus.
MEISNERO da saxa, atq; bis unam omnibus aurem:
Rupes moveri saxaq; ipsa videris.
At tantum tamen ingenium tamq; ignea lingua
Nihil movere fata quidvis obvia.*

Et

*Et non ad quævis stupeas momenta, moriri
Tantum Deorum qui vides interpretem!*

*Præceptoris ac patris
memoriæ P.*

*M. JEREM. SPIEGELIUS,
Præpos. & Superint. Kemberg.*

*D*um MEISNERUS obit divinx mentis & artis
DOCTOR, tristis ego hos ingemino gemitus:
MISNIA Theologum-MEISNERUM protulit: ô si
TANTUM etiam reddat MISNIA THEOLOGUM!

*M. JOHAN. Schneider
P. & S. Bitterf.*

*T*E quog; trux Lachesis, Pietas Meisneria, tollit,
Et condit gelidâ triste cadaver humo.

Non tibi fortuna dotes, nec propria virtus,

Nec vis ingenii prodigiosa tui:

Nec permagnus honor Superum tibi munere partus,

Nec solers sancta religionis opus:

Nec Witeberga tuis studiis celebrata, nec ingens

Candor, & in niveo pectore pura fides

Eumenides potuere Deos placare, benignâ

Ulceriùs traherent ut tua fila manu.

Scilicet his Fati nos ferreus illigat ordo,

Occupet ut tandem gaudia nostra dolor;

Et mors excipiat vitam: decedimus omnes.

Non aliâ nati conditione sumus.

*JOHANNES AVENARIUS,
Orat. Prof. Publ.*

EPITA-

EPITAPHIUM.

HAc conditus sub mole marmoris dormit
MEISNERUS ille, cujus indolem raram,
Et tot beatas mentis igneæ dotes
Sat nequit hactenus universa mirari,
Et nunc satis dolere civitas CHRISTI.
Quid præstiturum deputes senem ac canum?
Primâ juvenrâ penè vicerat canos.

AD DEFUNCTUM.

DA veniam, MEISNERE, tuas quod carmine digno
Celebrare laudes, quod decebat, negligo:
Et tantum tumulum amplector tacitusq; madensq;.
Est ille parvus, qui dolor loqui potest.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

Res nulli obscura est nostra nec vocis egebit
Auspicio infausto fatiq; urgentibus anno
Lumina tanta Virum Doctorum funere acerbo
Mersa urbes luctu magno implevisse piorum.
O MEISNERE ingens famâ imò ingentior omni
Eloquio quantis cælo te laudibus aequem?
Luminibus dictis non ausim te annumerare;
Præponendus eris tuncq; Si in corpore Mundi
Solem ipsum obscuratum reddit, Amicitiam qui
Tollit, quod stasuit Cicero, inter Lumina tanta
Sol MEISNERUS erat: quam tristis Luminis almi
Solis jactura est Mundo, tam semper acerba

MEIS-

MEISNERI est & erit facies tristissima mortis
Omnibus, in CHRISTO qui verum Numen adorant.

M. REINHOLDUS FRANCKENBERG. P.P.

MEISNERI mortem gemitus planctq; sequuntur:
Et præter gemitus nil ego ferre queo.
Non aliquis cecidit densi de fece popelli,
Sed rarum Eusebiæ Pieridumq; decus.
Ergo haud immeritò geminus, Dominumq; preca-
Ut det defuncto mollia fata viro, (mur,
Substituaturq; alium, per quem Respublica Christi
Crescat, & æterni Patris alatur honor.

In memoriam optimi affini συμμαθείας
ergò apponebam

SIGISMUNDUS SCHERERTZ
Pastor ad D. Lamperti Lunaburgi.

Humani ingenii miraculum, gloria gentis
Misniaca, mellis gratia Nestorei,
Sidus Leucoridum, sacri decus Ordinis ingens,
MEISNERUS, metam terminat occiduam,
Cum Thomaa dies, monacho festiva Britanno,
(Atra dies!) metam terminat anniculam.
O factum malè! pressa-nimis sic Christianas ingens
Perdidit heu Lumen! perdidit heu Columnen!
Omnia contulerat Natura huic Gratia soli,
Singula qua multis spargere, parca solet.
Nec malè contulerat, siquidem sub flore virili
Edidit ingenii mira reperta sui:

E

Omnia

Omnia mira, tamen parva buic visa omnia, ni se
Atque in se superet spesq; minasq; suas,
Scilicet innumera & multum - majora minatus:
Sed spes innumeras perdidit una Febris!
O factum male! pressa-nimis sic Christianas ingens
Perdidit heu Lumen! perdidit heu Columen!

Lugens Præcept. suum f.

M. JOHAN. LUCIUS Dresd.
Eccles. patria Diac.

Victus qui semper erat dum vita manebat
MEISNERUS victus robore Mortis obit.
Quem nequit telum rationis figere CALVI,
Fulmina nec saxi saxa necare PAPÆ:
Pestis erat vivus MEISNERUS, pestis eritq;
CALVINI, pestis, mortuus atque PAPÆ:
Vita fugax periit, vivit sed gloria Scriptis
Parta, jacet gladio victus uterq; DEI.
Credo MEISNERI victus lætabitur Hostis
Morte: sed infernum nî resipiscet, adit.

G. Fabricii.

M. JOHANN. ANDRÆ WALDTER

Hermundurus P. L. & p. r. Past. ad radices
montu Vulturini.

Ergo ideo dulces adspexi luminis oras
Hæc tenebris? Ergo ideo vita relicta mihi,
Ut MEISNERE, decus nostrum, te cernerem ademptum?
Extincto premerem ut os oculosq; tibi?

O me

O me infelicem! ô damnum irreparabile! tecum
Christiani interire gloria spesq; gregis.
Tu super astra quidem felix liberq; malorum,
Æternâ radias sidus in arce poli:
Nos autem miseros ex omni parte pericla
Versantur, crepera circum-aguntq; vices.
Quas porro exsuperare quis ô monstrabit amice?
Tu bone, Dux voster: tu bone, Doctor eras.
At tu CHRISTE DEUS reliquas servare columnas,
Queis res Ecclesie nititur, esto memor.
Sic tibi devoto psallemus pectore grates,
Perpetuum & nobis laus tua carmen erit.

Scriptum à

M. MICHAEL BLUMIO Ecclesia

Witteb. p. r. Diacono, nunc autem vocato

Pastore & Superintendente

Beltzigensi.

Non morum integritas, pietas, doctrinaq; rara
Indomitæ possunt tollere jura necis:
Non pretio cedit, precibus non flectitur ullis,
Omnes sic tandem sub sua jura rapit.
Exemplum peccis? restatur proph dolor Urna,
MEISNERI, monstrans hunc obiisse Virum,
Quem pietas, sincera fides, doctrinaq; multa
Commendat; nunc ast cuncta sepulta jacent.
Antehac SCHALLERUM Rectorem morte solutum,
Heu nunc MEISNERUM tristia fata vocant.
Quid mala fata velint, quid nobis dira minentur?
Incertum est; Certum sed tamen omen habet:

E 2

Scili-

Scilicet ob nostra est iratus crimina Jhova,
Hinc quoque permittit tristia quæq; Deus.
Quapropter plorat meritò studiosa juvenus,
Plangunt & Cives, templa scholæq; dolent.
O cives cives instate precatibus usque,
Ne simul Antistes occidat ante diem
At tu quid ploras ò dilectissima Conjux
MEISNERI? lacrymas desine quæso tuas
Non perire tuus ille, æternum vivit in ævum,
Vivit, & æternæ gaudia pacis agit.
Si corpus datur in cinerem, si membra liquefcunt
Attramen in terris fama perennis erit.

Hoc cum dolore apponebat

*M. AUGUSTUS Fleischhauer
Ecclesie Witteb. Diaconus.*

Cur trepidas pectus! cur plorant Lumina planctus!
Cur adeò mastos fundis ab ore sonos!
Ab quid! Parcaminus parca, heu Parca, invida Parca,
Cordibus ex nostris sustulit, ecce, Decus!
Foribus ex nostris sacrasis nobile Lumen,
Ex Cathedra Sidus sustulit, ecce, micans!
MEISNERUM nostrum Eusebies Pacisq; columnam,
Ex medio nostrum sustulit, ecce dolor!
O Decus! ò Facies! ò Nobile Sidus in oris
Leucoreis! Studij ò protra salusq; p̄j!
Si doleo Pectus Diâ virtute politum;
Pufeat pupillas lacrima larga meus.
Si specto Pignemum prænobile, Deniq; mira;
Solvor in angures maflitiasq; graves.

O Pie-

O Pietas! Probitas! ò Nobilitas! Bonitasq;
Non poteras stimulo tollere Mortis onus?
Non poteras. sed quid! Domini vindicta volebat
Sic trahere in pœnas pectora cæca suas.
Hæc trutinare Boni, defletq; crimina vestra:
Intentat nobis Tristia plura DEUS.

*Sic ex dolore ingemifcebat
M. EUSEBIUS BOHEMUS
Eccles. Witteb. Diaconus.*

Quam eheu fecit Christiana Ecclesia damni
MEISNERO, inprimis despoliata suo.
Sed DEUS ut placuit dedit, abstulit, is benedictus
Omnibus in factis, seu hoc agat, illud agat.

M. CHRISTIANUS Grefenthal.

BALTHASAR MEISNERUS.

ὁ μακαρίτης καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις (elis. asp.)

ἀναχαμπαλιζόμενος:

MIRA SALUS, TER BEANS.

*Inserto eadem operâ ex ore Φιλανθρώπου Servatoris
mentissimo Ipsius Symbolo Matth. 5.v.5.*

BEATI MITES!

*Literis utriusq; nominis sui initialibus à B. nostro applicato,
quo uti in vivis (prout natura mitis erat) delectabatur, ita nunc
(Praxi utriusq; adhibito) beatus perfruitur!*

ἐξυγίαις.

Nulla salus terris, cœlum te posco salutem,
Hic ubi MIRA SALUS, & sine fine quies.

E 3

MIRA

MIRA SALUS, & vera salus, quæ sorte beatâ
 Vivificat mentes lætificatq; pias:
 Vera salus, æterna salus, quâ Trinus & Unus
 Electorum animas TERq; quaterq; BEAT!
 Excipit hæc *mites mitissimus* ipse Redemptor,
 Quo nihil altitonans *mitius* æther habet.
 Salve sancta salus, Jesu *mitissime* salve!
 (Terra vale) salve rer mihi sancta salus!
 Angelici salvete chori, salvete redempti,
 O cœlum salve Patria vera mihi!
 Perpetuâ mecum hæc *mites* in pace quiescunt,
 Hæc ubi MIRA SALUS, TER sine fine BEANS!
 Æternâ mecum hæc habitant in luce BEATI
 MITES, vera salus quos super astra beat!

*τὸ μὲν μακαρίτη χαίροντι συγχαίρων τοῖς
 δὲ πρῶτον ἐκ τῶν ἀλλοτρίων
 συμπάγων*

M. JOHANNES SEGERUS P. L. C.
 Scholæ opid. Witteb. Rector.

I.

ERgo etiam *sevis* MEISNERUS succubat umbris,
 Ut cumulet patria tristia damna sua.
 Omen habet magnum. Verum pietasq; fidesq;
 Undiq; demoritur, debuit ergo mori.
 Felix qui patria moribunda morte parentat,
 Commoriensq; suo funere justa facis.

II.

REctor magnificus MEISNERUS mortuus, unâ
 Theologia jacet, Philosophia jacet.
 M. CHRISTIANUS GVEINZIUS.

M

MEIS-

MEISNERUS, decus entheum, Lycæi
 quando in nomina magna & invidendas
 fascès vectus erat probâ senatus
 censurâ benefactum! ubique ovantes
 dicebant. Etenim Regentis ille
 gestabat vice tertiâ tiarâ,
 personam dubio absq; non minori
 quàm quondam studio fideq; tantam
 acturus. Sed ubi tyranna Morta
 nuper sustulit heu! gravi peremptum
 morbo, acri Viteberga debitoque
 & luctu & querimoniâ repletur.
 Nam qui vir fuit, imbibit tot annis:
 Et Rectore bono graviq; Mysta
 privata est. Quis (ita inquiet dolenter)
 legum jura feret, licentiamq;
 compescet gregis? aut rudem popellum
 quis momenta salutis edocebit
 posthac? Quis Cathedræ arce stans juventam
 præceptis docilem imbuet sacratis,
 ne vel traditio, vel umbra mentis,
 vel præposterus impiusque zelus
 pro dio obtineatq; stetq; vero?
 Quis felicius obstupente rurbâ
 bellabit Domini DERq; bella
 non stricto gladio, stylo at libroq;
 & diviniloquo ore bella gesta?
 Quisnam audentior agmen impiorum
 contra ibit, vitium scelusq; tetrum,
 & quicquid pietatis arcem in istis

mandi

mundi fecibus improbo ausu ab imo
vult fundamine subrutam, deinceps
impugnabit? ò ingemiscis alma
Wittemberga, simulq; & has & istas
voces edis! Et ut tuo Regente
cui par vel similis fiet, carcere
cogaris, rigidum subire fatum
hac ætate virum dolere censes
esse æquum, ignea quâ suo vigore,
mens gaudebat & optimo virile
Corpus flore superbiebat isto.
A quo, quod caput, ut datum frui aurâ,
salvans Relligio fide & decenti
Zelo, ulli quibus haud fuit secundus,
sarta & tecta retenta & aucta sanis
res Christjana sonis & entheatis
scriptis omnigenis, vehit perennis
quæ nunc fama, dein, nisi obstitisset
fatum immite, citum, magè amplianda.
Nam non egregiæ subindicabant
incerto hæctenus exitu minæq;
& spes factaq; singularitatem
sinctæ mentis & indolis beatæ
svadæ & iudicii valentis usum
testata; insuper aureæ sacræq;
voces, multa quibus notabat ipse
uno deficere alteroq; nostrâ
tempestate statu, resarcienda.
vindex ne ira Dei opprimat nocentes
erexere satisq; corda, spemque
fecere indubiam, auspicante CHRISTO,

majo-

majorem fore Christianitatem.
Sic quondam nemus una brachia arbor
diffundens gravibus sat undiquaque
ramis, flamine sive eam sinistro
pulsans incubuit nocenter Eurus,
seu damnosa nimis tacente peste
promovit caries edens ruinam
subter; Concidit, impetu remugit
mox rus omne, tonatq; sylva passim.
Accurrunt stupidi, arborisq; gratam
umbram, deciduæq; copiæ usum
lugent ruricolæ, genusq; & ora
profusis lacrymis sua irrigantes
damnum triste gemunt, suum, propinqui
& damnum nemoris. Quid ipse dicam?
Quò gestu aspiciamvé funus istud?
nam sat publica damna fieri dignè
non possum. Patris olim erat verendi
MEISNERUS loco, & æquioris una
sortis vis medians. ò acriori
Lessu excarnificarier, querelis
& me hinc exanimarier stas, non
mirum esset! quid agam? potest citatas
fati alas hominum nec ullus unquam
tardare: Evocat atque herus fidelem
supremus citius loco ministrum
non raro: Insuper hinc abire cunctos
& calcare semel tenebricosam
mortis indomitæ viam necesse est.
Olim ergò hocce die, beate Doctor,
Natales tibi gratulatus ut sum

F.

invi-

invitus (fateor) modò perempto
fati lege, inamœnus hisco triste
carmen, vivere quem sit æquum & optem.
Verè scilicet est putandum: in Orbe
qui vixit benè, plurimosq; Cœlo
doctrinâ interfit, diem ille obibit
Supremum placidè & piè, resurget,
instar Lampadis & micabit olim,
quando vivificans tuba audietur.

*Assini, Præceptoris ac Promotoris
desideratis.*

f.

*M. JOHAN. PERSON
Roehlic. Misnicus.*

MEISNERUM magnum vita liquisse tumultus,
ante diem defunctum, ævi florentibus annis,
Gens studiosa gemens humectas flumine vultum
tristior: atq; decora tuis jam pectora palmis
tundis! Rectè. Dignus enim qui Nestoris ævo
nunc obiit! Perfecto clarus honore catbedre,
suavidicus linguâ, dextrâ calamoq; celebris,
Consilio prudens, constans factisq; fideq;
ingenio summus, miti quoq; mente quietus,
ac pietate gravis sanctâ, meritisq; benignus
vixit MEISNERUS tumuli nunc occubat umbris
Mortuus, heu! rapuit Lachesis quem funere acerbo!
Quid tamen in longos animum diffundere questus

adju-

*adjuvat? Hoc voluit Dominus vitâq; necisq;
Et stat bonos vivax, virtus expersq; sepulchri.*

Magnific. & Reverend. Dn. D. MEISNERUM
hospitem honoratissimum fauto-
rem optimum lugens

f.

Johannes Caspar Großgebaur.

Heu quæ tristitiæ surgunt in pectore nubes
Mittentes gelidis flumina mœsta genis!
Dum calamum querelû, scripturus naniam, adapto,
Cumq; meis lachrymis talia verba cano.
O Mors crudelis, vivorum sæve tyranne!
Cur non tam magnis parcis in orbe viris?
Ut MEISNERUS erat, longo dignissimus ævo,
Quem furtiva manus nunc tua surripuit!
Ah dolor & damnum supra omne, quod est dolor in-
gens

Et damnum, talem tam citò obire virum.
Cujus Symbolum erat, (res multis rara!) BEATI
MITES, quod gessit nomine, corde, animo.
Nec tamen hic contingit EI possessio terræ
Longa satis, Christi ceu bona verba sonant.
Causa fuit, dubio, credo, sine, terra maligna,
Quæ non digna, BONUM longius HOCCE ferat.
BALTHASARI MEISNERO etenim vix alter erit par,
Summis mansueti dotibus ingenii.
Quem timuit Calvus, Photinus, Papa superbus,
Nec non fallaci mente Sophista malus:

F 2

Dum

Dum pro cœlesti Vero Verboq; JEHOVÆ,
 Contra illos VICTOR prælia multa tulit.
 Nec potuere aliquid, cunctis & viribus omnes,
 Quo possent E J U S vincere scripta, suis.
 At Mors Scriptoris destruxit pectora tanti!
 Nunc saltem ut vivant scripta relicta solo;
 Ille polo vivat, æternos atque triumphos.
 Illic concelebrat Conspiciatq; Deum,
 Pro cuius VERBO pugnavit fortiter armis
 Scripturæ & sanâ cum ratione satis.
 Quos inter lachrymæ nunc sunt, quoq; pectore tristi
 Me sisto, & meritò publica damna fleo.
 Nam Velut in cœlis MEISNERUS jubilat EVAX!
 Eheu sic resonat pectore triste mihi.

Mœstissimus cognatus adposuit

M. CHRISTOPHORUS BIENERUS,
p. t. Reverendiss. Magnif. & Nobiliss.
 Dn. D. Hoën ab Hoënegg à Pædagogia.

Dum sumus in mundo, non mundi vivimus, & nos,
 Qua nos è mundo subtrahet, hora latet.
 Quando itaq; incauti ingredimur, procul esse putantes,
 Ecce tamen subito mors inopina venit.
 Exempla MEISNERUS adest (vox faucibus hæret)
 Qui exitit antiquæ religionis Apex.
 Occidit: heu fatum infelix & flebile! tantum
 Sic parcam nobis eripuisse decus:
 Jovæq; quem clarum sceptro & diademate reddit,
 Splendida mors turpi nomina labe notat

Interea

*Interea in terris ejus bona fama tuetur;
 Lucrum est, si quando sic abyssse licet.
 At, metus est, ne quando erit, ut commota procellis,
 Alti vorticibus subruat unda ratem:
 Ni Deus & ventis & aquis injectet habenas,
 (Quod precor,) ut servet Pastor ovile suum?*

*Summæ observantia & contestanda debita con-
 dolentia gratia, Dn. Preceptoris ac
 Avunculo suo desideratissimo,
 in luctu ponebat*

M. BALTHASAR BALDUINUS.

Lugete ô Cives Academiae & Urbis & Orbis,
 Cunctis lugendi longè justissima causa est,
 Et cujus dignis lacrimis haut sufficit Albis,
 Tota oculos ineat licet, & rursus effluat inde:
 MEISNERUS vestrum communis gloria obivit.
 Sat dixi: Vobis sunt cœtera cognita abundè.

Hei mihi quantus erat, quàm non præclarior alter,
 Quotquot in hoc vasto radiis Sol calfacit orbe.

THEIOLOGUM taceo, loquitur vastissima moles
 Scriptorum, emisit Juvenis quæ cura Viriq;
 In quibus & Gravitas rerum atque Oratio plana,
 Judiciumq; inter sese certare videntur.
 Impia Photini suboles, Romanaq; turba,
 Et Calvinise quæ senserunt fulminà Lingua:
 Quorum terror erat, vires prostravit & arma,
 Arma, quibus summi oppugnârunt castra JEHOVÆ.
 Suggestum & Cathedram quando conscenderat,
 omnes

F 3

Mirè

Mirè permovit Vox nectare dulcior omni.
SUADA, velut propriè, labiis atque ore resedit:
Et fari potuit, quidquid modò novit Hebræus,
Quidquid & Ausonius, quidquid docuère Pelasgi.
Quid SOPHIEN memorem? Sophie fuit ipsa, nec
MEISNERO Nostro præcessit acumine Mentis, (ullus
Majus *Natura Miraclo* erat Is Miraculum.
Ambigis? inspicias Studio quæ fecit utroque.
Te quoque Diva nequit mea Mûsa filere POËSIS,
Quam sic excoluit, veluti vix unus & alter.
Ludus erat doctos Elegos componere; ludus
Heroo versu divinum æquare Maronem.
Rara avis est DOMINI Mystes idemq; Poëta;
Rara avis, & nunquam aut rarò unà sede locantur.
At talis MEISNERUS erat: dubiamq; juventâ
Priscorum Vatum palmam jam reddidit olim.
Talis & ipse fuit, heu non *est* dicere posse!
Vates MENTZERUS clarum Germanidos oræ
Nec sat laudandum sidus Livore fatente.
Non minor Hoc, Laurum circû sua tempora gestans
FRIDRICUS BALDVIN toto celeberrimus orbe;
Quiq; docet JENÆ summa cum laude GERHARDUS;
Deniq; RÖBERUS Hallensî Præsul in Aula,
Quem WHITEBERGA suum Doctorem lata salutat:
Omnes Theiologi summi, summiq; Poëta.
Sermo fuit semper de miti corde profectus
Mitis, & hinc proprium sibi legit Symbolon istud,
Quo *Mites Σωτηρ* pronunciat esse *Beatos*.
Fervens in DOMINUM Pietas, gratiq; Lepores,
Mixti cum Gravitate ramen, quin enthea Virtus,
Mens etiam prudens in cunctis rebus agendis,

Et

Et promptum studium bene de quocunq; merendi:
Hæc & plura hujus generis tam nota cuivis,
Ut nil requirant nostræ præconia linguæ.

DRESDA Tibi æternæ laudes debentur honorq;que,
Et grates hilari cantabunt voce nepotes,
Tu tu MEISNERUM felici Sole tulisti,
Te tantum Lumen terris genuisse juvabit:
Gramina dum tellus, dum pisces æquor habebit,
MEISNERUS tua, Tu MEISNERI fama manebis.

Num dicendû etiam, fuerit quæ & quâta minatus?
Dicendum: veluti magnum tentasse LUTHERUM,
Orbem Christjanum vitis purgare nefandis,
Inde THEORIÆ discentum corda parare
Promptius; hinc alia à PRAXI Nos multa docere.

Nonne vides, ut Nostra liget Clavem ipsa Ligantē
Turba? Velut coram Populo delicta faterur
Nemo? Vides Vitam? scelere atq; lubricine plena est
Vita. Vides? ah quæso vide nec lumina claudere,
Mystarum ut numero numerus sat magnus habere
Vix queat, unde suos & se sustentet honestè.
Nonne vides, multos ruri non Artibus esse
Affixos magis; & libros, heu turpe! jacere,
Ut jacet id, vili quod longè vilius algâ est.
Quid dicam, secli Natos & nomen habere
Et rem Clerorum: sed Clerum nomine tantum:
Contrâ quàm Pietas nostrum decrevit avorum,
Res simul & nomen Clero sapienter adornans.
Nonne vides, quàm dira in nos grex evomat ore
Hæreticûm? haut *Scriptum* est, quod cunctis sufficit
unum:

Undiq; perfecto est expers Studiosus & ipse.

Majori

Majori zelo quoque posset quærier atque
Si DOMINUS dederit, verti pagana caterva:
Sapius inque unum Sacer Ordo coire, probare
Quò valeant inter se controversa Saluris.
Nonne vides, sicut pueri discrimine nullo
Ludo obtrudantur? quàm sit sæpe aptior hastæ
Aut crepidæ, vitam Studiis qui mancipat omnem:
Pòst sine iudicio hoc non arripit, arripit istud,
Inscius an fructum res sit latura dolumve
Quin vix discipulis quisquam succurrit egenis:
His angusta nimis quoque sunt Habitacla tributa.
Orphanus inde miser queritur sibi dona negari:
Cui mox orba Viro linguâ se junget eadem.

Jam mihi cerne Forû, Mundi quoq; cœtera nosce,
Hei mihi, quàm Virtus est corvo rarior albo:
Hei mihi, quàm Vitio nihil est communius orbe:
Non si sint centum mihi linguæ, cuncta referrem:
Heu ubi prisca fides? ubi fas? ubi jura, dolensq;
Vicini casus pectus relevansq; reapse.
Heu ubi sincera est nostri dilectio Fratris:
Eheu quàm pænè est res hæc incognita cunctis.

Ergo quum vidit Noster MEISNERUS, in illas
Prorupit voces: *Non sic pia pectora, Non sic.*
Et voluit totus rebus succurrere lapsis.
Hinc mala, quæ cunctos maculant, avertere cuncta;
At bona, quæ cuncti desuète, inducere cuncta,
Aurea sic nobis *purgando* reddere secla.

Sed Mors invidit: quid Mors? punivit JHOVA,
Nec nos perversos tanto dignatus honore est.
Ingrati accipimus quidquid benefecit ab alto
ALTUS, nec vitam corde emendamus iniquam.

Alter

Alter in alterius sævimus corpora, quæq;
In nostri, donec sumus hic, sunt corporis usum:
Exulat in summa *Pietas Probitasq; Fidesq;*
Quid mirum est igitur, si nostra ita crimina pensat
Pœnarum numero DOMINUS: quas inter & ista,
Quòd bene promeritos meriturosq; evocat orbe.

Sic sua MEISNERUS clausit mandante JEHOVA
Lumina morte, (fuit, vidi vidi, illa beata.)
Et mundo immundo VALE dixit, & astra subivit.

Ergo REFORMANDI nunc unâ Opus expiravit,
Illud Opus, quale à LUTHERI tempore nemo
Tentare est ausus, nec quisquam fortè valebit,
Ut velit, effectum dare pòst omni Arte. Proinde
Immensum hoc nulloq; modo reparabile damnum.
Lugete ô Cives Academia & Urbis & Orbis.

2.

(SUM

PRIMUM è Principibus Germania SAXONEM & HAS-
Sanctam LUTHERI vidit amare Fidem.
Nunc quando illa Fides miserè quassatur ubique,
Et salvi Procerum vix duo tresve manent,
SAXO MEISNERUM, MENTZERUM providus HASSUS,
Primum Theiologum perdit uterque suum.
Omen inest, quoniam præsertim octiduo in uno
Decedunt: certè res brevis ista moræ est:
Omen inest. Verùm taceo. FAC CHRISTE malorum.
Ne quid pòst veniat — — —

3.

SOL noster MEISNERUS erat: nunc occidit eheu,
Nec pòst luce suâ nos radiare potest.
Quæso secuturum quid censes funera tanta?
Solis ad occasum nox venit & tenebra.

G

Qui

^{4.}
Qui Vir MEISNERUS fuerit, si dicere cogar:
Non nostrum capit hoc Ingenium ingenium,
Et dabo responsum verbo uno, Nescio. Verum
Hoc scio: Nulla parem secla futura ferent.

^{5.}
MEISNERO similis nomen corpusq; coloremq;
Est Natus natu maximus atque genas:
Mens pia, mens mitis, Studiorum atq; Artis amatrix
Est etiam, & PATRIS maxima dona refert.
Ponite divini MEISNERI ob funera Iuctum,
Nec coquat ulterius pectora mœsta dolor,
Non perit, sed in hoc Nato jacet Ille sepultus,
Hic olim rursus sisset in orbe PATREM.

^{6.}
ANAGRAMMA.

BALTHASAR MEISNERUS Dresdâ - Mis-
nicus Sacrosanctae Theologiae Doctor:
et in Electorali Saxonica Potentissimi
Dom. JOHANN-GEORGH Studiorum
Univerlitate Vuiteberggae Prof. longè
celeberrimus: p. tem. Magnif: Templi
quoque ad Arcem Praepos. atque Eccle-
siastes, Consistorii que Adf. gravissimus,
vigesimo nono Decem. noctu è vita abi-
vit unà cum habitu Anni Veteris, & Orbi
Christiano summum post se Iuctum rel-
liquit.

per

*per Anagramma, r tantum
in e mutato.*

Nemo Theologum est Tibi par, & nemo Sopho-
rum est
MEISNERE: & Vatum par Tibi nemo fuit.
Suggesto & Cathedra docuisti vera sequenda:
Vox etiam monuit, Dogmata falsa cave.
Nunc cadis. Amisit quantum o Ecclesia CHRISTI
IN TE: nulli oculi sat lacrimare queunt.
Agger eras Populis: quin sancti Pastor ovilis:
Sed cum jam moreris, jò cecinere lupi.
Oro benigne DEUS, nostri miserere, gregique
Sis bonus Abba tuo: sic citò da similes.

posuit
qui Magni & Incomparabilis Dn. DEFUNCTI
duobus Filiis

à Studis est,
desideratissimo Benefactori & Praeceptorì
longè longè mœstissimus

M. JOHANNES CUNRADUS Westersfelde
Coronamontanus VVetteravus SS. Th. Sr.

BALTHASARUS MEISNERUS DOCTOR THEOLOGUS,
RECTOR WIETAEBERGENSIS.

Αναγραμμ.
ALTER TU LUTHERUS ERAS BEATE NOSTER,
OS DIVES, AGGER HONORIS, OCCUMBIS?

Εξήγνα.
ALTER TU LUTHERUS ERAS, Meisnere, BEATE,
DIVES & OS, AGGER NOSTER HONORIS eras.
G 2 *Theulo-*

Theologia OCCUMBIS fulcrum, prænobile sidus?
Occumbis nostræ Magne Sionis Atlas?
Heu fatum! falsis lacrimis nunc innatat omnis
Leucoris, & multum corructura gemit.
Omnes Europæ tractus nutare videntur,
Ob tanti stantes fata inopina viri.
Et meritò; siquidem vix, vix, (mens augurat!) unquam
MEISNERI similem secla futura dabunt.
Nemo futurus erit talis. Selectus abivit
Relligionis Amor, Relligionis Honor.
Plangite Leucorides, omen deplange sinistrum.
Et Pietas ipsi vix habitura parem.
Quotquot MEISNERUM nostris plorate, vadati
Humectas lacrumis collutulate genas.
Et mecum felix hoc proclamate sepulcrum,
In quo Theologiæ hoc Depositem positum est.
Asi ò sancta Anima, ò MEISNERE beate, (BEATI
MITES;) cælicola ò sancte, beate, vale,
Salve, ò aternum salve; tua vivet in orbe.
Dum Witeberga manet, gloria, Nomen, honor!
Sit satis indultum calamo. Iam suffice, si quis
alter, MEISNERUM CHRISTE benigne novum!

Compatri & Præceptori meo desideratis.
Scribebam, cum Ænæa in Pallantis
funere apud Maronem II. Æn.
ingeminans,

Heu mihi, quantum
Præsidium, Ausonia; & quantum tu perdis Jule!

M. JOHANNES BOHEMUS Friberg.
Mysnicus, Poët. Casareus.

MEIS-

MEISNERUM, decus elegantioris
Musæ, præcipuum caput sophorum,
Suadæ delicias, Minervæ ocellos,
Præconem studii beatoris,
Mystam consilii sacratoris,
Magnum lumen in orbe Christiano,
Densis conspicuam Pharum tenebris,
Fleto, Pieridum diserta turba:
Fleto, qui Sophiæ manum dedere,
Vos, qui mellifluo pioq; ab ore
Prægnantes monitis tulistis aures.
Vos, queis Carneadæ sagax acumen.
Et foelix ratio fuit stupori;
Quos sermo pupugit superna suadens,
Incendit studiis anhelus ardor;
Qui vastis adytis sepulta sacra,
MEISNERI face præviâ erulistis,
Luctus sumite nunciam cupressum,
Plangenti geminate voce lessum.
Inprimis cathedræ dolete sortem,
Umbris exanimem tegi. Dolete
Soles occidere & redire posse,
MEISNERUM semel occidisse, & inde
Noctes Cimmerias scholis manere.

Præceptori suo venerando

f.

JOH. HÜLSEMAN Fris.

G 3

Qui

Qui Cycli claras nōrat Septemplicis artes,
 Extremum vita clausit in orbe diem.
 Qui condignus erat, quō vivat Nestoris annos,
 MEISNERUS Doctōr morte peremptus abit.
 Hinc uxor, suboles plorant materq; sororq;
 Et Lumen nitidum flet Unseberga suum.
 Flet pietas, flet prisca fides, flet triga sororum
 Triplex, flet probitas, flet reverenda Themis.
 Flet studiosa cohors, graviter flet & ipse Apollo,
 Nec tangit doctā fila canora lyra.
 Hunc optant multi hinc multos vixisse per annos,
 Auxilio ut possint consiliōq; frui.
 Verūm sic placuit Jova, qui cuncta gubernat,
 Nobis ergo, Deo quod placuit, placeat.
 Non placare datur cuiquam fera Numina Letbes,
 Mors bodie juvenem, cras necat ipsa senem.
 Noster jam vivit vitam omni ex asse beatam
 DOCTOR, quā Lachetis perdere non poterit.
 Jam spernit mundi curas, vanosq; labores,
 Morbos ac mortem, & quicquid in orbe mali.
 Inter Cœlicolas cœlestia gaudia sentit,
 Atque suo Domino nunc H A L E L U I A canit.
 His ut de terris ad cœlica gaudia migret
 Tempore quisque suo, fac Deus alme, precor.

Pietatis ergō
 Erga Dn. Praeceptorem suum ut meritiss.
 ita desideratiss. maestissimo
 animo adponeb.
M. BERNHARDUS SCHEIDENREISSER
 Dresd. SS. Theologiae Stud.

Ev 281

I.

Εν χειρῶν γενέθρι θάνατον κάλλιπεν ἰσάρεται,
 οὐτὸν καὶ δεχθῆ ἀνεῖπει βίβ.
 Ἐξοδὸν ἐκ ζωῶν ζωῆς τῆς κρείττουσιν δεχθῆ,
 ἄφελον ἐκλείπειν κατὰδὲ τόνδε βίον.
 Κάτθανεν ἐν χειρῶν Μεισνηριάδης τε, μεγίστων
 εἰς ὅδε θεολόγων παντόθι γνωστὸς εὖς.
 Ποίησε ζωῆς τοίνυν τῆς κρείττουσιν δεχθῆ
 εἰν αἰγίων χώρῳ ἀμειβεσθῆ ἀθανάτων.
 Τίπτε σέθεν βλεφάρων ἀπ' ἀηθεα δάκρυα πίπτε
 ἢ Μεισνηριάδης τίνα, γυνήτε, τροφός.
 Χερσὶ παρειαίων ἀπαλαίων δάκρυα πάντες
 ἀμφοτέρης ἡμῶν θερμάγ' ὁμοζάμφοι.

II.

Οptaret sibi quis divitias Mydæ
 Stulti, sic tamen, ut, si Cerealia
 Mensæ munera contingeret, aut dapes
 Tentaret rapidis vellere dentibus,
 Hæc sola haut fierent aurea lamina,
 Præter tangeret hæc quicquid in ædibus
 Contactu subito aurum fieret suo.
 Contentus patrio pane miser meo
 Nolim sumere certè mihi, vulgi ego
 Demens iudicio, fortè Sophi bene
 Sanus. Copia si, copia si mihi
 Optandi, precibus pluribus utilis,
 MEISNERUM celebrem, qui capitis nive
 Dignus Nestorei, jam super unicum
 Optarem esse mihi! Suppeterent mihi
 A Christo bona sic! Sic quoque posterà
 Major laude recens undique crescerem!

Juta-

Jutaret, scio, me! Me, scio, largiùs
Jutaret, scio, quem nubila in abditum
Detrudit penitus fors, Deus optime!
Jutaret! Scio enim quæ mihi vir DEI
Largitus, mihi quæ nomina fecerit.
Verùm mors cohibet laxa DEO meum
Votum. Qui potero vivere? Qui meo
Declivi feriam sidera vertice?
Totus, quum memini, hujus propè funeror.
Est funus lachrymosum hujus, erit mihi.
Sed Patri placuit! Sic voluit Pater!
Opponat quis ei se? Hunc quis & increpet?
Accepto DOMINI facta, precans ego
Huic sanctâ requiem in sede DEI manus.
Hujus, Jhovah potens, sedibus optimis
Repponis qui animam, da Patientiæ
Munus, Theologum daq; Academiæ
Huic Fridriciadae Saxonici parem!
Hunc da, Christiadas (laus tibi,) juveris!
Sic, MEISNERE, tui discipulus tuus
Abrepti memini, contigerit mihi
Dum, donante DEO, vita solo super!
Siccis dura DEUS proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt, graves
Nostræ quàm fuerint, sollicitudines.

τὸν ἐν αἰσίοις καὶ εἰς τὰς αἰῶνας
εὐλογία ὀλοψύχως
ὀδυρόμενος

M. CASPAR HENRICUS Mittelstadt
Dresdensis.

Sat

SAt citò, si modò sat bene, Sic anbracina lana
Hic illic albo regitur velamine, nigris
Tempora plus solito stipantur inermia ricis
Lutea vix bilares prævelant flammae vultus
Amplius; atratis decorantur funera limbis.
Sudant cuncti humeros pullatâ cingere veste,
Nec satagit quisquam curuos at tollere vultus.
Hem frameis Libitina tuis obnata quid urges
Talia, quid peregrè immensus accire dolores
Te juvat, in quos fers jaculabile ferrea telum?
En mærorum animi miserabilis ingruit imber,
Aggravat innumeros dolor intolerabilis æstus,
Nec tua non rabido furit inclementia morsu?
Parcitur haud ulli, percunt discrimine nullo
Barbarus, & qui per celebres caput extulit artes.
Non illum Pietas, qui cum JOVE vivere tendit,
Non Probitas cupidum concordem ducere vitam
Tutatur, nec tela trucis fugat horrida letbi.

Occidit ab nosser, Germanæ gloria gentis
Inclita MEISNERUS, Doctorum gemma, Corona
Theologon, Sacra cui Pietas decus addidit ingens.
Omnia nunc gemitus, dolor omnia & omnia luctus.
Quis renuat mæstum lacrymis urgere sepulcrum,
Dulce quis appetet casus solamen acerbi?
Hanc studiosæ cohors damno majore ruinam
Persentit, fluidas fletus non segnis ad undas,
Hæc gemitq; vices querulo miserata dolore,
Turbaq; Christiadam, cui lex Divina voluptas.

Ergò viram ô pernix & inexorabile fatum!
Quem tentasse putas rigida Proserpina sorte?
Nemo letbifera medicari cuspide jectum

H

Evaluit,

Evaluit, nihil hic doctâ livet arte Machaon.
Lux magni terrena viri demasceatur, evocq;
Immarcessibili potitur, postquam nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atræ.

Condolentia contestanda ergo
Præceptorem desideratissimum
hoc modo deplorabat

M. LUDOLPH HOLLER
Rigâ-Livonus.

Quid nunc inceptem? vates divinus abivit
Discipulum liquisti, Antistes nomine clare.
Astra petente olim Eliâ lugebat Elisa:
Ah Pater, euge Parens mi quorsum? ad sidera tendis?
τῆ ἱστανλῆ διφραζῆ καὶ ἰωπίες αὐτῆ,
Cum Jesabele suum quando insectatus Ahabum
Vindicis idq; Dei jussu punira Jesabel
Vinea per fraudem cujus direpra Nabatho.
Ast erat hicce suo noster MEISNERUS Elias
Discipulo Jovis quando solabile verbum,
Ilius ex labris discebat. Et igneus ecce!
Currus adest Jesus, Mosi qui cælica scala est
Hunc referens inter rutilantia sidera olympi.
In cœlis etenim, quod stellæ, id *ἡρισολδογῆντις*
Theiologi insignes divinitus esse jubentur
Dum vel adhuc vivunt: hinc LUMINA ritè vocantur
Israëlis, qui Christi est Ecclesia pugnans.

Interea hac tristi luimus nos crimina clade,
O Deus ignoscas miseris noxasq; remittas
Manibus ex nostris digneris vertere pœnas.
Deniq; BALTHASAREM nostrum revidere Beatum

Des

Des præceptorem redivivum ex ordine longo
Sanctæ militiæ positam capiatq; coronam
In cœli, qua tunc cinctus, lustrabitur aulâ.
Hæc precor, hæc fiant. FIENT. Audivit Jova.

M. GEORGIUS MULLERUS
Jessensis Saxo alumnus Elector.

Ventura Thracas secula barbaros
Norint, & atas posthuma laudibus
Non immerentes tollat amplis
Et memori super astra famâ.

Hi namq; lugent flebilibus modis,
Dum prima vita fert puerordia, &
In lacrymosum natus orbem
Aërios bibit ore flatus.

At contra alacri lætitiâ fremunt,
Missusq; ducunt gaudia questibus,
Si quem potestas dura Fati
Funerea aut Libitina raptat.

Nam quisquis aurâ vescitur ætheris,
Fœcunda multis tempora casibus.

Et mille distractam in tumultus
Sorte trahit variante vitam.

Sed morte functus sollicitudines
Evitat agras. Mors domitrix mali,
Portus quietis, pausa cladis
Et placitum est miseris asylum.

Sic flendus baud es questibus anxio
MEISNERE, sacri Lux gregis aurea,
Almaq; vindex veritatis,
Preproperis sed adempte fati.

H 2

(Fati)

(Fati irreflexis legibus obloqui
Insanientis res sapientia est,)

Quin gratulemur more Thracum
Plausibus banc tibi faustitatem.
Sed nos homulli, nos miseri sumus,
Quos morte linquis tam properè tuâ!
Heu triste tempus! te preempto,
Suada, Themis, Pietas fuerunt!
At viternus Rex superum novum
Orbi redonet sidus, & insuper
Stantes diu servasset orbi
Fulciat ac decoret Columnas.

luctu desiderioq; plenus
Præceptorem suum charissimum ita naniâ
prosequabatur

JACOBUS Rôckert Lüb. Saxo.

HEU quàm saxa nimis supremi est numinis iræ!
Eheu quot poenæ crimina nostra manent!
Hactenus infando Bellona cruenta furor,
Saviit, & nondum desit ille furor.
Non prætexta fuit non purpura ruta, nec ordo,
Nec sparsa circum tempora cana nives.
Hactenus ex plebis prognatos cœtibus imæ
Extulimus Juvenes decrepitosq; senes.
Non tamen hoc potuit lissi violentia Morgis
Cardine, Magnificos sustulit illa viros.
Haud me ficta loqui sed facta fatebitur omnis,
Tristia MEISNERI qui modo busta videt.

MEIS-

MEISNERI, digno quem qui describere versu
Sperat, is Icaro more modoq; perit.
CHRISTE salus hominum sancti gregis adspice cladé,
Quod coëat vulnus, quod tua dextra, tulit.
Suffice tu pietate viros atque arte decoros,
Qui populo pandant dogmata sacra tuo.

Mærens præclarè de se merito faciebat

CHRISTIANUS Rôckert Lüb.

Misaiacus nostro MEISNERO Misnia alumno
Misniacâ volui dicere voce VALE.

Schmerzstiftiger Todt / was darffst dich vnter stehen
Daf du ohn alle Gnad aus der Welt heissest gehen
Den Mann / von dessen Wort man schöpffet laus
ter frewd
Wer ihn nur hat gehort / Allhier vor dieser zeit
Ist auch jemand bey vns / der sich nicht hat verwundert
Vbr dessen grosse Kunst den man begrâbt sekunder
Mit worten er bald brach / manch eisenhartes Herz
Durch sein geschickte Sprach / wars gleich so hart
als Erz.

Drumb war in Lieb entbrand (mit Thränen muß ichs
melden)

Das ganze deutsche Land gegen diesen thewren Helden /
Denn er für grosser Güt kein Menschen hat lardirt
Weil mit Neid sein Gemüth ganz nicht war infi-
cirt.

Wo er nicht selbst lehrt / da lehren seine Schreiben
Daf die Welt würd bekehrt vnd Gottes Kirck möche
bleiben /

H 3

Ja

Ja wolte nun erst recht/ als ein fürnehmer Christ/
Vnd trewer Gottes Knecht sagen was nützlich
ist.

Da muß er/ (Ach mein Gott!) gewaltig Respondiren
Dem vngnädigen Todt der ihm thet opponiren
Auch endlich doch ohn schmerz mit vnändigr be-
gierd

Vbr das gelehrte Herz als ein Held triumphirt.
Da ligt er nun sekund mit gefalteneu Händen
Schleust sein beredte Mund sein Arbeit thut sich enden/
Sein Seel ist nun davon/ hier ligt noch seine Leich
Als ein Kind Gottes schon geschmückt zum Him-
melreich.

So nun wies Himmels Glanz die Glerten werden schei-
nen

Vnd die/ so fortgepflanzt die Gerechtigkeit ohn seumen/
Schimmern gleich wie die Stern; wie wird in
Ewigkeit

Der Doctor leuchten fern in der Vnsterblichkeit!
Denn so Beredsamkeit/ oder subtiliteten
Auch Leibes lieblichkeit könten vom Todt erretten
Hett sein Magnificentz der Todt noch nicht verlest
Vnd seine stumpffe Senn/auffs new wider gewest.
Pfund Todt das ist ein schand das so stirbt Doctor
Reisner

Beweint vom ganzen Land dieweil er war kein Gleis-
ner/

Drumb sehr viel junge Leut wegn seinr grossen
Kunst

Waren zu sterbn bereit für ihn lauter vmbsonst.

Noch

Noch darffstu mutwillig dein Sennen dapffer sicherffen
Vñ ihn vnümbgänglich auff's Todtbett nieder werffen/
Das in der besten blüth/ als er kaum vierzig Jahr/
Er von der Welt abschied/ Ist das nicht schad für
wahr?

Ist doch der Mensch wie eiss welchs hat ein groß ansehen
So bald die Sonn scheint heiß/ muß es davon zergehen/
Ist er doch wie ein Gras welchs all zu bald vers
welckt;

Ja wie ein schönes Glas/ so doch gar leicht zerfelt.
Das weiß wol Wittenberg am Elbenstrom gegründet
Wie Junger Leute stärck vnversehens verschwindet.
Die Wittbe hochbetrübt am besten diß verstehe
Den den sie sehr geliebt/ ins Grab jekt von ihr geht.

Der Univerlitet hochansehnliche Leute
Führen ein kläglich Red das der von ihrer Seite
Gerissen welcher war ein schön Gliedmaß allhie
Bey drey vnd zwanzig Jahr/ dieser Academi?
Wie stießen doch von dir/ vbr dieses Mannes Jugend
Die Thränenbäch allhier/ O weitberühmte Jugend/
Das in so gschwinder eil mit vnheilsamen ris
Die starcke Kirchenseul zu grunde gangen ist.
Wahr ist's/ vnd bleibt gewiß die Seul ist weg gerissen
Deswegen mancher Christ noch Thränen wird vers
giessen.

Thränen hin/ Thränen her die richten wenig auß/
Gott ist derselbe Herr der bey vns so helt Hauß.
Dem fallen wir zu Fuß mit bessrung vnser sitten
Mit rechtschaffener Bus vnd ganz fleißlichen bitten
Das er mit Christi Blut sein seuerbreñenden Zorn
Wol leschen vns zu gut/ Gnädig sein wie zu vorn/
Vns

1631

Vns Trawrige für diß / einmal wiederumb ergehen
Den auffgelegten Riß reichlich wiederumb ersehen
Auch die so noch am Lebn / viel Nutz der Christenheit
Können schaffen vnd gebn / erhalten lange zeit.

Daß wünschen mit Andacht mit mir alle Betrübten
Vnd gebn gute Nacht ihren sehr viel Geliebten
Der vns hinder sich leß in tieffer Trawrigkeit;
Er aber wird getröst mit Engelischer Freud.

Nun Wolwürdiger Herr! Nun Hochgeehrter Vater!
Dich prest kein vnglück mehr / kein disputat noch hader /
Sondern dein Heyland groß / welchen du hast ge-
preist /

In dem Himlischen Schloß / dich jetzt willkommen
heißt:

Gutn Kampff hastu gekämpfft / vnd deinen Lauff voll-
endet /

Spricht er / nun sind gedämpfft die dich dort habn ge-
schendet /

Steh da / die dir gefelt / die beygelegte Kron
Nim hindu tapffrer Held / die geb ich dir zu Lohn.
In dulci júbilo die Engelein drauff singen
Vnd ihn Cum gaudio in Schoß Abrahæ bringen
Da wir nach vnserm Lauff / ihn wider treffen an /
Drumb hört zu trawren auff / vbr den recht selign
Mann.

*Duritie scapulos si nostrum vinceret ullus,
Ehrius is lacrimis ad tria verba foret:*

MORTUUS EST MEISNERUS. In hujus nomine dixi

Qua possunt dici maxima. Flete virum.

At lacrima cessent. Cur? nam sat fletur eorum,

Nec tamen bis messis acceleramus opem.

Gaudeat

*Gaudeat aeternum, potius, denatus, id uno
Nobiscum voveat quilibet ore pius.*

Beato Dn. Praeceptoris & Inspectori suo
incomparabili gratæ memoriæ
ergo

fundebat ipsa exequiarum die

Luctu undiquaque circumfusis

PAULUS Stockman

Alumn. Elector.

U Nicus ut sol est, atque unica luna diei
Noctisque, ut Musis unus Apollo novem.
Una ita Theologis MEISNERUS adorea cunctis
Exitit, antiquæ religionis apex.
Hic cum transit apex, ð quantum transit honoris!
Namque suam ad tempus sistit Apollo Lyram.
Et fax Theologiæ MEISNERO obeunte nigrescit,
Et tenebræ errorum lucis egent radiis.
Dicage nunc quantum MEISNERO ad sydera raptio;
Hæcce suo gremio contegat urna virum.

*Summa observantia, debet. eq. gratitudinis
contestanda gratia in luctu ponebat*

CHRISTIANUS BALDUINUS A. D.

J Am Viteberga gemit, solatia cuncta recusat
Ensifer Imperii, Teutona terra dolet,
Et merito: clausit MEISNERUS lumina, Lumen
Saxonie, Tutor Religionis erat.

I

Terror

Terror erat Papa: Jam plenâ voce triumphum,
 Tanti morte Viri fretus, habere cupit.
 Nil Viteberga time; Tibi Lumina bina supersunt,
 Ipse DEUS superest, qui dare plura potest.
 Nec mihi si lingua centum sint, naufraga fata,
 Virtutumq; Viri nomina ferre queo.
 Id tentent alij. Obstupro, vox faucibus hæret!
 Gloria MEISNERI sola perennis erit.

ALEXANDER Kirchberg.
 Rosochiensis.

Magnifico Cœli MEISNERUM tollere nostrum
 E vivis placuit, tamen haud è mentibus, ill E
 I n scriptis vivax & in auditoribus, ill I
 S tat sua laus perpes: Triplici proli quoq; res, spe S
 N on deërit scio fat, quia Ter venerabile Nume N
 E xcipit hæc parili pia corcula amore patern E.
 R efert ast tua CHRISTE Ecclesia Sancta regatu R
 U nanimiq; Fides Pietatis perpete fruct U.
 S: ed perit omne illud, Tu nisi CHRISTE dabi S.

MAGNI-

MAGNIFICUSCÆLIMEIS
 AGNIFICUSCÆLIMEISN
 GNIFICUSCÆLIMEISNE
 NIFICUSCÆLIMEISNER
 IFICUSCÆLIMEISNERO
 FICUSCÆLIMEISNEROS
 ICUSCÆLIMEISNEROSR
 CUSCÆLIMEISNEROSRE
 USCÆLIMEISNEROSRED
 SCÆLIMEISNEROSREDD
 CÆLIMEISNEROSREDDA
 ELIMEISNEROSREDDAT
 LIMEISNEROSREDDATE
 IMEISNEROSREDDATEO
 MEISNEROSREDDATEOS
 EISNEROSREDDATEOSD
 ISNEROSREDDATEOSDE
 SNEROSREDDATEOSDEM

CHRISTOPHORUS BEUCKERTUS
 Valle-Joachimicâ Bohemus.

Christiadum Meisner Lumen fortisq; Columna
 Musarum cecidit! sicce jubente DEO.
 Heu cecidit! latum retulit qui sæpe triumphum
 A Christi infensis hostibus innumeris.
 Turbæ, quæ verita haut mentiri nomen Jesus
 Doctrina horroni Meisneriana fuit.
 Sed cecidit! tamen haut cecidit, quia regnat ovantèr
 Cum Christo cujus sanguine lotus erat.

I 2

Victori

Victori Carnis, Mundi, Satanæq; beato
Adfremit exultans Regia sancta Dei.
Membra *ἑαυθώπια* ast certantia sparsa per orbem.
Ingentem, lacrymis hinc ut & inde madent.
Incedit mœsta pullatus in urbe Senatus
Doctorum, & juvenum docta corona dolet.
Et meritò, siquidem *cum curru auriga Sionis*
Sublatus, raptus Relligionis bonos.
Relligionis bonos arvum mortale reliquit,
Et latè subiit picta theatra poli.
Quod dedit Omnipotens olim, nunc abstulit idem
Quò minus hoc, minus aut, quis veter illud agat?
Avesto quare gratemur gaudia cœli,
Nosq; poli parili Numina sine beent.

*Hæc in τικυήτοις grati animi erga beatos
Beati Meisneri manes, Patroni sui
desideratissimi Διοθηνών fecit,*

JACOBUS WELLERUS Neu-
Kircho-Variscus, Theol. Stud.

WITEBERGA dole, non est medicabile vulnus,
Quod Tibi MEISNERI mors inopina dedit.
Plangite Vos cives; Studiosi plangite cuncti;
Tu quonq; nobiscum Gens peregrina dole:
Ille sacrum coetum contra defendere scivit
Quantà vix alter dexteritate malos.
At nunc privamur cuncti solamine tali:
Qui non flet, duro durior is lapide est.

meritò apponebat

JOHANNES HENRICUS Obenhin
Coronemontanus VVetteravus SS. Th. St.

Vix

Vix dum præclari deflemus funus acerbum
SCHALLERI, noster qui modò RECTOR erat:
Insequitur luctum luctus novus: ecce columna
Leucoris una cadit: moxq; secunda cadit,
Quando MEISNERUS vitâ defungitur, ille,
Qui tam perraris dotibus auctus erat. (&
Flet Witeberga, Helicon, luget quoq; Teutona terra,
Quæcunq; est Themidos turba professa fidem.
Nec non Relligio flet, quæ velut orphana patrem
Perdidit, ac meruit mille pericla sibi.
Sed frustra: is nullis lacrimis revocabitur unquam,
Anq; ferant talem secla futura, latet.
Gemmea conscripsit manus, aurea verba locutum
Os fuit, & summæ dexteritatis erat.
Quod satis ostendunt numerosa volumina passim
Herculeus labor, & res operosa Viri.
Vixq; quater denos annos numeraverat Ipse,
Fila bonæ Vitæ trux Libitina secat.
Firma valetudo si processisset in Illo
Interrupta minus cœtera fortè forent.
Ergo super sedeads, & condas plectra labori,
MEISNERE in cœlis nunc tibi quære locum:
Hic tandem finisq; mali, requiesq; laborum est:
Hic nunc pro meritis præmia digna feres.

JOHANNES PHILIPPUS COLONIUS
Holtzhufanus Hasso-Darmstadinus
Th. & Phil. Studiosus.

Hic quoq; WITTENBERGA celeri pede fama volavit,
Quæ de MEISNERI nuncia morte fuit:

I 3

Non

Non Ego, non alij potuerunt credere primū,
Nec sumus huic tonitru fulmen inesse rati.
At nimium verò verum est, ò plangite cuncti:
Fama nimis constans cogit habere fidem.
Quid dubitem? proprius FRATER mihi scripsit abinde,
MEISNERI Natos erudit Ille duos.
MEISNERUM terras liquisse atate virente
Et quâ perfecto robore quisq; cluit!
Iratiscertè DOMINI mortalibus hoc est
Indicium, & pœnas non procul esse monet.
O utinam mendax fiam, nec turba profana,
CHRISTE tuas Mundo perdere possit oves!
Qui miserum DOMINI ceu fidus Pastor ovile
Tutari potuit, cessit ad astra poli.
Suffice CHRISTE alios, alios Tu suffice CHRISTE:
Solutus MEISNEROS reddere namq; potes.

ex Argentinensi Academia misit
JODOCUS HENRICUS Besterfeldt
Coronamontanus VVetteravus Phil.
Candidatu.

HEU, heu, MEISNERO, Pylium ævum vivere digno,
Jam fert jura necis spe citius Lachesis!
Nam, qui jussa DEI zelo fervente docebat
Annis baud multis obstitus, ecce cadit!
Hocce cadente cadit rarum decus ordinis (cheu!)
Theiologi, & Suadæ os nobile Theiologæ.
Heu miserum fatum! nimis heu lacrymabile fatum!
Qui non hoc deflet, non homo sed lapis est.
Lugete Albiades Musæ, Germanaq; tellus
Luge, cum primis turba pusilla DEI.

Sed,

Sed, nobis similis MEISNERO ut restituatur,
Utq; tuum populum, fac DEUS alme, regat!

Συμπάθειας ἐργὸ

hac apponere ut voluit sic debuit

ZACHARIAS MOSE Wittebergenfis.

Hoc jacet in tumulo, MEISNERUS, nobilis ille
Heros; Theologica Tiphys & ἀλφάρα ratis.
Cætera qua nescis, tibi dicet fama, Viator;
Didista ad Eoas Hesperiasq; plagas.
Merens meritò adjicit
JOHANNES JACOBUS SARTORIUS.

FUnera MEISNERI quis non lugeret acerba?
Quem moderante Deo mors inopina tulit;
Rector Leucoridis, Doctor, columenq; fidele
Decedit pariter, vulneris hocce satis!
Tu dignum cathedræ mystam jam suffice Christe,
Qui pandat verbi dogmata sancta tui.
Debita condolentia ergo
adjiciebat
FRIDERICUS BALDUINUS.

I. (ptum;
Nemo quidem, qui non MEISNERUM deflet adem-
Nemo tamen, qui Me justius illud agit:
Ipse dedit vitam mihi: cor moderamine rexit.
In Vita, in Studiis, inq; Timore DEI.

Omni-

Omnibus his tecum, GENITOR charissime, privor,
Extremo claudis dum tua fata die,
Vix conspexerunt tredecim mea lumina messes:
Hei mihi, destituor quàm citò PATRE meo!
Ah utinam pro TE potuissem ponere vitam;
Tuq; aliis porrò commoda plura dare!
Sed frustra ploro: non est revocabile fatum,
Nec, quem dira semel Mors necat, ille redit.
Cœlestisq; Pater nobis hæc funera fecit,
Is nostræ vitæ jura necisq; tenet: (planctus:
Quod facit Ille, bonum est; procul ergo recedite
Hoc mihi solamen, quod facit Ille, bonum est.
Tu modò perge meus PATER ò DEUS esse perenne:
PATRONISq; bonis Meq; Meosq; bea.
Audi JHOVA tui sancto de vertice montis,
Nec voti vacuum spem finito esse mei:
Audi, atque hæc preces aliquod da pondus habere.
Sic nostrum poterit lenius esse malum.

2.
TU quidem es, dilecte PARENS, beatus,
Et loco degis nimum beato,
Unde, si posses, tamen haut redire
Ad mala velles:
At mihi verò reliquisq; Natis
Heu Tuis quondam! miseris recessit
Spes, decus, solamen, Honorq; noster,
Pluraq; Tecum.
Fiat (ut facta est) DOMINI Voluntas:
Interim AETERNUM VALE, donec ABRAE
In sinum Nos Aligedum fidelis
Dextera portat.

Quies

3.
Tibi nulla præ laboribus quies fuit,
Cum viveres in orbe,
Jam Studia, mox Professio, mox, Concio
Te mi PATER tenebant.
Vidit DEUS, verâque TE fecit frui
Secum in polo quiete,
Ubi perpetua sunt Angelorum gaudia,
Quæ corde gratulamur.

4.
AD fines Jericho quàm prius igneus
THISBITEN veheret currus ad æthera;
ELIZAS rogar, ut Spiritus ipsius
Duplex secum habitet, duplicem agatq; vim.
Tam grande & darier quod mihi vix pote,
Non oro. Alme DEUS Tu modò Me mei
Fac simplex PATRIS ut Spiritus induat.
Vir fiam, ut similes non habeam Viros.

5.
Wie mit so gar grosser flag/
Habn sich geendt die letzten Tag
Des alten Jahrs / vnd zugleich gemacht!
Das auch das New wir zugebracht
In Trübsal / Leid vnd Traurigkeit:
Wird wol auch so sein künfftig zeit!
Dann da hat sich / Gott seyns geklagt/
Der Todt an mein Herrn Vater gmacht/
Vnd aus der Welt gereumet baldt/
Ob Er schon noch nicht war sehr alt.
Wie groß nun dieser schaden sey/
Vermeyn ich ohn all Heucheley/
K

Eey

Sey jederman sehr wol bekandt/
Er sey auch wo er woll im Land.
Was hiedurch hohe Schul vnd Stadt/
Zu d' Christenheit verlohren hat/
Verschweig Ich gern / mir nicht gebührt/
Besser / als Ich / ein andr es rührt.
Diß aber mit Thränen klage Ich/
Daß diesen Todt sehr schmerzlich
Empfinden vnser Verwandten all/
Welchen sehr schadet dieser Fall:
Voraus Wir vnd Mein Schwesterlein/
Darzu mein liebz zween Brüderlein/
Die wir Väterlicher Hülff vnd Lehr/
Noch alle Vier bedörffen sehr;
Wir sind noch jung / noch klein wir sind/
Früh Wäylin ist ein betrübtes Kind.
Nun kan mans aber endern nicht/
Ohn Gottes Willen nichts geschicht:
Der selbig ist des Lebens Herr/
So Er wil / ist auch Todt nicht ferr.
Hat Er nun vns vier Kindern alln /
Nach seinem Willn vnd Wolgefalln/
Diß Leid vnd Trübsal zugesandt/
So ist jederman wol bekandt/
Daß Er es hab zum Gutn gethan/
Vnd nicht geendert werden kan.
Drumb muß man sich ergebn drein/
Mit Gdult vnd aller Demuht sein:
Gott hat geschlagen / Gott wird auch heiln /
An seiner Güt nie nichts lesst feiln.
Er woll vns wider ansehen in Gnadn/
Ferner behüt'n vor allem Schadn:

Auch

Auch Leut erweck'n / die allezeit
Vns helffen ohn beschwerlichkeit:
Damit wir wol erzogen werd'n/
Vnd ihm auch dienen hie auff Erden/
In seiner Kirchen vnd Gemein/
Mein Klag hiemit sol bgeschlossen sein.
O HERR Gott du diß Bitt erhör/
Nach trüben Wolck'n die Sonn bescher.

Longè dilectissimo & desideratissimo Domino
PARENTI meo hoc ultimum
Honoris & Amoris signum longè
maximè posui
BALTHASAR MEISNERUS
Wittebergensis.

Herzallerliebster Vater Mein/
Wie ist Mirs ein so schwere Pein/
Daß Ihr so bald von himmen scheidt/
Inn Himml vnd Ewig Seligkeit:
Ewer Hülff werd Ich beraubt zu früh/
Nun bin Ich ganz verlassen hie.
Wolt Gott / daß es nur könte sein/
Vnd Ich Euch mit den Thränen mein
Könt wider bringen auß der Erd
Wolt immer weinen ohn beschwerd!
Euch zwar ist vbraus wol geschehn/
Ihr sendt kommn / dahin wir noch sehn/
Zu Gott in seine Herrlichkeit/
Da nichts ist / dann nur lauter Freud:
Vns aber Ewer scheidn vnd Todt
Bringt in Trübsal vnd grosse Noht/

K 2

Viels

Viels guten müssen manglen wir/
So nun weg fleucht von vnserer Thür.
Gott wol vns dieß Leids anderwärts
Ergehen/ bitt Ich ohne schertz:
Vnd Ewrm Leib geben sanffte Ruh/
Biß wir auch alle kommn darzu/
Hernach die Ewig Seligkeit/
Die vns in seim Sohn ist bereit/
Da wolln wir vns widr sehn all/
Dieß Hoffnung leichtert alln Vnfall.

Charissimo Dn. PARENTI
scripsit tristissimus Filius
GOTHOFREDUS MEISNERUS
Wittebergensis.

Sortibus bis luteis fatis properantibus exit
MEISNERUS, subiens picta theatra poli.
Ipsi equum grater, sed qui gratarier ausim
Nobis, quos certe certa ruina manet.
Sublatâ siquidem, qui possit, ab aede Columnâ
Structa super pendens salva manere domus?
Per duodena ruit Sol nondum signa polorum,
Quod duo cesserunt Numina Magnifica
Hac nisi sis vecors monstri nutrire quid atri,
Oh DEUS hinc, dices, omen abesse jube!
Fiant, sed fiant, quæ vult divina voluntas,
Hanc patienti animo nos tolerasse decet.
Sed MEISNERE tibi, qui dignus Nestoris annis
Vixisti, grator gaudia tuta poli.

JOHANNES Grefenthal
Wittebergensis.

Dum

I.
Dum pie terrenis MEISNERE ex sordibus exis,
Atque animo magno sidera celsa petis,
Heu desiderium Christianis quale relinquis,
Quos inter splendor Religionis eras.
Pulpita restantur, restantur limina templi,
A TE quæ vivâ voce animata jacent.
Per vicus querulas vocès juvenumq; senumq;
Et doctum spargit clara corona Virum.
Non tamen est obitus, verum magis ille vocandus
Est abitus, quoniam cœlica regna tenes.
Ergo Tuâ causâ non est quod lugeat ullus:
At Nobis mors hæc maxima damna parit.
Nec Nobis dico, verum mihi. Namque Parentem
Non dominum amisi sicce volente DEO.
Sed non amisi, præmisi ad tecta polorum,
Quod Dominum famulus fronte decente sequar.
Quamvis haut possim servire diutius ergo
MEISNERE (heu fatum!) corpore ritè Tibi:
Attamen instanter Tibi mens famulabitur uni,
Inque Tuas laudes officiosa ruet.
Spiritus & vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo,
Quàm subeant animo meritorum oblivia nostro,
Et longo pietas excidat ista die.

2.
Nunquam damna piis, & nunquam incommoda
desunt:
Tollitur unum? aliud mox aliunde venit.
Magnus MEISNERUS vitâ decessit: & ecce
Nunc quoq; BALDVINUM morbus iniquus habet.

K 3

Quid

Quid tandem fiet? DEUS, ó DEUS optime, nobis
Auxiliatrices porrige quæso manus.

f.
Excellentissimi Dn. DEFUNCTI
longè mœstissimus

Famulus

M. CHRISTIANUS Schreck
Salburgo-Variscus.



1.
EX quo MEISNERUS Witebergæ fata subivit,
Ac celsi petiit sidera celsa poli,
Nubila visa fuit tenebrasq; ACADEMIA habere.
Causa est: Sole jacer jam spoliata suo.

2.
Cuncti deplorant MEISNERI fata. Patescit,
Arte suâ cunctis hunc placuisse Virum.

3.
HEU damnum, quod nunc sentitq; doletq; JHOVÆ
Gens pia, vulneribus saucia facta tribus:
WINCKELMANNI obitû sequitur MEISNERIA clades:
MENTZERUS paullò post quoque morte ruit.
Heu quales quantiç; Viri! heu lumina quanta!
Obstupeo, & pisce est vox mea muta magis.
MENTZERUS Famam, * Faciem WINCKLMANNUS
habebat,
MEISNERUS Cathedram sancte LUTHERE Tuam.
Ne forsan * Famæ, Faciei Cathedræq; LUTHERI
Hæc mala, signa mali sint, DEUS alme vide.

* qui vidit, novit Dn. Winckelmannum effigiei
Lutheri quàm simillimum fuisse.

* FAMAM

* Famam Lutheri, divinam doctrinam interpretator;
Faciem, Populum persecutioni aut sanguini ex-
positum; Cathedram, locum Doctrina, dilectam
Patriam nostram, & in hac præcipuè Piam
Saxoniam.


4.
MEISNERI ad mortem mala nos portendimus
omnes,
Omnes mendaces fac DEUS alme. Sat est.

Idem qui supra

M. JOHANNES CUNRADUS
Westerfeldt.

F I N I S.





MEMORIA

VIRI
ADMODUM REVERENDI, CLARIS-
simi ac Excellentissimi,
DOMINI

JOANNIS
AFFELMANNI

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS emi-
nentissimi, in Academia Rostochiensi Professoris
dexterrimi, celeberrimi, orthodoxae religionis pro-
pugnatoris acerrimi.

Qui die 28. Februarij anni 1624. inter 10. &
11. antemeridianam pie & placide in Christo Rostochi ob-
dormivit, cujusq; corpus ibidem 3. Martij terra
demandatum est,

In solempni conventu Academico die 26. Februarij
Anni 1625. Rostochij celebrata

ab
ERNESTO COCCIO
S. S. Theologiae Studioso.

MD(0)XXV
ROSTOCHI
Literis Joachimi Pedani, Acad. Typog.

